2

CONC. NAZ.
PROV. DIOC.
162
B
46.
BIB.NAZ.NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
162
B
46
NAPOLI

ogle

FLORENTINA
SYNODVS
DIOECESANA
M.DC.XXXXV.

108
D
38

DECRETA; ET ACTA

Synodi Diœceſanæ Florentinę Habitæ In Metropolitana Eccleſia XVII. Menſis Maij Anni M.DC.XLV.



D. P. Ro. 3. Col. 1. & 5.

Florentiæ, ex Typographia Archiepiſcopali.

Superiorum permiſſu.

Tit. Prim. de Rebus.

Cap. 1. DE *non prȩiudicando.*
Cap. 2. *De Conſtitutionibus.*
Cap. 3. *De fidei Profeſſione.*
Cap. 4. *De Doctrina Chriſtiana.*
Cap. 5. *De Prædicatione Verbi Dei.*
Cap. 6. *De Sacramentis, & primum de Baptiſmo.*
Cap. 7. *De Confirmatione.*
Cap. 8. *De Eucbariſtia.*
Cap. 9. *De Pȩnitentia.*
Cap. 10. *De Extrema Vnctione.*
Cap. 11. *De Ordine.*
Cap. 12. *De Matrimonio.*
Cap. 13. *De Sacramentalibus, & Exorciſmis.*
Cap. 14. *De Diuinis Officijs.*
Cap. 15. *De Veneratione & Reliquijs Sanctorum, Sacris Imaginibus, & Miraculis.*
Cap. 16. *De Rebus Eccleſiȩ.*

Tit. Sec. de Locis.

Cap. 17. *De Sacroſanctis Eccleſijs.*
Cap. 18. *De Oratorijs, & Capellis.*
Cap. 19. *De Confraternitatibus Laicorum.*
Cap. 20. *De Sepulturis, & ibi de Funeribus.*

Tit. Ter. de Temporibus.

Cap. 21. *De Ieiuniorum obſeruandorum tempore.*
Cap. 22. *De Feſtorum dierum cultu,*
Cap. 23. *De Tempore Reſidentiȩ, quiq; ad eam teneantur.*

Tit. Quar. de Perſonis.

Cap. 24. *De Clericis.*
Cap. 25. *De Parochis.*
Cap. 26. *De Regularibus.*
Cap. 27. *De Monialibus.*
Cap. 28. *De Medicis.*
Cap. 29. *De Abutentibus Sacra Scriptura, & Blaſphemantibus.*
Cap. 30. *De Examinatoribus & Iudicibus Synodalibus, & reliquis.*

Extra hunc ordinem.
De Iudicijs cap. vnic. &c.

DECRETA SYNODI DIOECESANAE FLORENTINAE

CELEBRATAE

In Metropolitana Eccleſia die 17. menſis Maij Anno 1645.

Nos Petrus Niccolini Dei & Sedis Apoſtolicæ gratia Florentiæ Archiepiſcopus

Ad Dei Omnipotentis, Beatiſſimę Virginis Deiparę, Sanctorumq; Ioannis Baptiſtę Patroni, & Zenobij Antiſtitis honorem & laudẽ in præſenti noſtra Diœceſana Synodo infraſcriptas Cõſtitutiones ſtatuimus & promulgamus.

PRAE-

NEMINI dubium eſt, cum à Ieſu Chriſto Seruatore noſtro in Diuum Petrum cæteroſq; Sanctos Apoſtolos omnis à Patre ſibi data conferretur poteſtas, tunc ab eodē Eccleſiæ Catholicæ datos Epiſcopos, vel vt Paſtores ad alliciendum amabili voce gregem populi Dei, vel vt bonos Agricolas ad arua cæleſtis Agni ſanguine irrigata vberrimè percolenda. Iure igitur optimo ſanctiſſimū, prout re vera eſt, cēſendum ſemper erit Tridentini Concilij iuſſum, decernens Diœceſanarū Synodorum frequentiam, quacunq; ſlibet Epiſcopi vocem Cleri auribus exceptam Grex vniuerſus ſequatur, & agri à vepribus ſaxiſq; mundentur, ne ſuffocatione humoris ſue defectu centuplus fructus impediatur. Quapropter Nos licèt negotiorum mole anniſq; grauati, veſtra tamen alacritate in obediendo ſuadente, ſtatuimus hodierna luce Synodalibus Decretis noſtras voces attollere, vt iuuante Domino à cunctis animabus noſtræ curæ commiſſis tanquam idoneæ ad eas in viam pacis dirigendas audiantur, & arua noſtræ Diœceſis ab eradicatis olim ſentibus, & à paucis paruiſq; calculis, ſi qui adhuc in ſuperficie iacent, omninò purgentur. Magna quidem noſtro in pectore excitatur lætitia, quando nulla terrendi grauibus inſoliuſq; Conſtitutionibus diuinum gregem, nec altis effoſſionibus omne ſolum vti ſiluestre & aſperū euertendi, neceſſitas vrget; quoniam Prædeceſſorum Antiſtitum & noſtrarum Sanctionum obſeruatione, viſitationeq; à Nobis magna ex parte completa, ſic mētium veſtrarum affectionem ad bonum propenſam agnouimus, vt certo certius ſit Paſtorum voces Gregem iſtum ſemper libentiſſimè auditurum, & hæc arua copioſas meſſes bonorū operum redditura. Attamen vt gaudiū noſtrum ſit plenū, hac Diœceſana Synodo priorū Decretorū auribus veſtris ſonitum renouare, & viſitatam culturæ ſupellectilem curſim oſtendere, veſtræ ſalutis zelo noſtriq; officij obligatione cōmoti, neceſſarium eſſe putauimus; vt vos iuxta Domini præceptum agnoſcentes has eaſdem eſſe, quas vti amabiles notaſq; Paſtorum voces frequenter ſecuti eſtis, & hæc eadem inſtrumenta,

ſtrumenta, quibus eſtis exculti, velocius quàm ſi repentè inſolita ſuperuenirent, per inceptum virtutis iter currentes circum ſalutis ouile, dulcia tandem Paradiſi paſcua guſtetis, & Sanctimoniȩ collectos fructus in cæleſtibus horreis perpetuò manſuros condatis. Faxit Deus æterni luminis Pater, à quo donum omne perfectum deſcendit, vt in pectora noſtra caritatis plenitudo fundatur, cuius leni funiculo tracti maximi illius Paſtoris dulciſſimas voces ſequamur, optimiq; Agricolæ manibus colenda præbeamus corda noſtra, veræ pietatis fructus propter retributionem ferentes. Ad quod cum vos Religioſiſſimi Sacerdotes hodiè in vnum conueneritis, procidentes enixè mecum plorate ante Deum, qui fecit nos, cuiuſq; populum electum & oues paſcuȩ eſſe glorioſiſſimè profitemur.

VNniuerſa autem huius Synodi Capita, quæ ſub quatuor Titulis diſtribuentur, videlicet

1. *De Rebus,*	3. *Temporibus,*
2. *Locis,*	4. *Et Perſonis,*

cum ad excolendos Chriſtianos mores propter animarum iuſtificationem proponantur, Fidei tutelam reſpicient; quatenus ea per actus religionis exercitatione viuida redditur. Licèt enim Fides principalis virtus ex Deo ſit ſubſtantia repromiſſionum adhuc non apparentium, qua Spiritu ſpem iuſtitiæ adepturi ſumus; attamen ſi opera non haberet, mortua eſſet in ſemetipſa, nec per illam iuſtus viueret, niſi ea eſſet, quæ viuax per caritatem vt corpus per ſpiritum operaretur. Lucernæ etenim ardentes in manibus noſtris lucere debent igne, quem in terram portauit & accendi voluit Chriſtus lux vera illuminans omnem hominem, danſq; nobis poteſtatem filios Dei Patris luminum fieri, vt ita ex ipſo per gratiam nati filij lucis ſimus, reportantes eodem tempore fructũ in pace ſeminatum, qui eſt animarum noſtrarum ſalus, & cũ apparuerit Princeps Paſtorum percipientes immarceſcibilem coronam gloriæ.

Inci-

INcipiendum eſt autem à Titulo de Rebus, cum in Rerum numero ea prima in Sede connumeremus, quę huius virtutis ſunt viciniores & proprij actus. Id autem poſt duo prima Capita

1. *De non pręiudicando;*
2. *Et de Conſtitutionibus* efficiemus.

agendo

3. *De ſidei Profeſſione.*
4. *De Doctrina Chriſtiana.*
5. *De Prędicatione verbi Dei.*
6. *De Sacramentis, & primum de Baptiſmo.*
7. *De Confirmatione.*
8. *De Euchariſtia, & ibi de Sacrificio Miſſę, & Oratione quadraginta horarum.*
9. *De Pœnitentia, & ibi de Caſibus Illuſtriſſimo D. D. Archiepiſcopo reſeruatis.*
10. *De Extrema Vnctione.*
11. *De Ordine.*
12. *De Matrimonio.*
13. *De Sacramentalibus & Exorciſmis.*
14. *De Diuinis Officijs.*
15. *De Veneratione & Reliquijs Sanctorum, Sacris Imaginibus & Miraculis.*
16. *De Rebus Eccleſiæ.*

Cap. I. De non prẹiudicando.

Decretum de non præiudicando in ſedendo, & præceptum de non diſcedendo niſi ſeſſione peracta & finita Synodo.

ILluſtriſſimus & Reuerendiſſimus D. D Petrus Niccolini Dei Sanctæq; Sedis Apoſtolicẹ gratia Archiepiſcopus Florētinus in virtute Sanctæ obedientiæ præcipit & mandat omnibus & quibuſcumq; Sacerdotibus huic Synodo præſentibus, vt vnuſquiſq ſedeat durāte Synodo in ſuo loco, & maneat ibi quietè quouſque hẹc Synodus perficiatur, abſq; tamen vllo prẹiudicio inferendo ex hoc, quo ad prẹcedentiā in ſtando & ſedendo & deambulando; & quod nullus audeat ſub quouis pretextu ſeu quẹſito colore diſcedere, niſi finita Synodo, ſub pœna ipſo facto incurrenda ſcutorum duorum aureorum, & arbitrij ſuẹ dominationis Illuſtriſſimæ & Reuerendiſſimæ omni meliori modo &c.

Cap. II. De Conſtitutionibus.

§. 1. PRimò igitur antequam vlterius procedamus, cum magna huius Synodi pars prẹteritarum auctoritate nitatur, ad robur illi augendum omnes & ſingulas Conſtitutiones, Reformationes, Statuta & Decreta, quæ Anno 1517. ſub Iulio Medici S. R E. Cardinali, Archiepiſcopo Florentino, P. M. Clemente VII. emanarunt; necnon illas quẹ ab Illuſtriſſimis Antonio Altouitiſ, Alexandro Cardinali Medici poſteà S. P. Leone XI. Alexandro Marzi Medici. Prædeceſſoribus noſtris, & à Nobis hucuſque edita ſunt, vnà cum declarationibus & limitationibus ab Archiepiſcopis Florentinis pro tempore factis, innouamus, confirmamus, & obſeruari mandamus, quatenus tamen Sacroſancti Concilij Tridentini aut Pontificum Conſtitutionibus, aut præſentibus non aduerſentur.

§. 2. Declarantes tamen neq; has neq; ſuperius confirmatas vnquam peccati mortalis nexu prẹuaricatores obſtringere, niſi eas ex contemptu violauerint, vel niſi quando hoc iuris ſit, aut vbi huiuſmodi pœna fuerit expreſſa.

§. 3. Man-

§. 3. Mandantes inſuper vt præſentes Conſtitutiones poſt duos menſes ab hac earum publicationis die obſeruentur.

§. 4. Parochiſq; præcipientes ſub pęna duorum ducatorũ & arbitrij vt vnuſquiſque intra prædictum tempus earum exemplar impreſſum penes ſe habeat, & vernaculo ſermone ea omnia quæ ad Laicos ſpectant in Eccleſia pronuncient, quando maior populi frequentia aderit, omnibus earum obſeruantiam in Domino ſuadentes.

§. 5. Quod idem pariter faciant Monialium Confeſſarij in Decretis ad illas ſpectantibus, ſciantq; trangreſſores pænaſe arbitraria à Nobis fore plectendos.

Cap. III. De Fidei Profeſſione.

Fides vti donum Dei omnium bonarum arborum in orbe Chriſtiano ſemen & radix, ſine qua nihil validum nihil ſanctum, principem locum, vt ſupra dictum eſt, in huius Diœceſanę noſtræ Synodi Conſtitutionibus obtinebit.

§. 1. In hac igitur per caritatem radicati & fundati decernimus, mandamus atq; præcipimus, vt ea ſemper illibata ſeruetur forma, quam Sacroſancta Romana, Vniuerſalis, Catholica & Apoſtolica Eccleſia per ſummorũ Pontificum ſanctiones, & potiſſimum per Sacroſancti Oecumenici Tridentini Concilij Canones & Decreta, vniuerſis Chriſti Fidelibus profitendam & ſeruandam exhibuit. Omnes itaque ab eodem Concilio Tridentino obſtricti, vel de iure aut conſuetudine ad illius profeſſionem emittendam obligati intra ſtatutum tempus in manibus Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi D. D. Archiepiſcopi Florentini vel eius Vicarij Generalis, & alibi vt moris eſt, iuxta vulgatam formulam Conſtitutionis Pij IV. publice (ſcilicet coram Teſtibus & notario) profiteantur. Quod ſi quis obedire neglexerit, vltra ſacrorum Canonum pænas, arbitrarias etiam dabit.

§. 2. Ad maiorem autem profitentium cõmoditatem, formam ipſam fidei hoc loci extendimus.

Ego N. firma fide credo & profiteor omnia & ſingula, quę

continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Eccleſia vtitur, videlicèt.

Credo in vnum Deum, Patrem omnipotentem, factorem Cæli & terrę, viſibilium omnium & inuiſibilium. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum, filium Dei vnigenitum. Et ex Patre natum antè omnia ſecula. Deum de Deo, lumeñ de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum conſubſtantialē Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælis. Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine & Homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundū ſcripturas. Et aſcendit in Cælum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum vēturus eſt cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum, & viuificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cū Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. Et vnam Sāctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſeculi. Amen.

Apoſtolicas & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſq; eiuſdē Eccleſiæ obſeruationes & Conſtitutiones firmiſſimè admitto & amplector. Itē Sacram Scripturam iuxta eum ſenſum quē tenuit & tenet Sancta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam vnquam niſi iuxta vnanimem conſenſum Patrum accipiam & interpretabor.

Profiteor quoque ſeptem eſſe verè & propriè Sacramenta nouę legis à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licèt non omnia ſingulis neceſſaria; ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaq; gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe.

Receptos quoquè & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni admini-

ni-

niſtratione recipio & admitto. Omnia & ſingula quæ de peccato originali & de iuſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio.

Profiteor paritèr in Miſſa offerri Deo verum proprium & propitiatorium Sacrificium pro viuis & defunctis, atque in Sanctiſſimo Euchariſtię Sacramento eſſe verè realitèr, & ſubſtantialiter Corpus & Sanguinem vnà cum anima & Diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, fieriq; conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantię vini in Sanguinem, quam conuerſionem Sancta Eccleſia Tranſubſtantiationem appellat.

Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum atque integrũ Chriſtum verumq; Sacramentum ſumi: Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſq; ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari. Similiter & Sanctos vnà cum Chriſto regnantes venerandos atque inuocandos eſſe, eoſq; orationes Deo pro nobis offerre atque eorum Reliquias eſſe venerandas.

Firmiter aſſero Imagines Chriſti ac Deiparę ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem & venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumq; vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo.

Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum Matrem & Magiſtram agnoſco, Romanoq; Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo ac iuro.

Cętera itẽ omnia à Sacris Canonibus & Oecumenicis Cõcilijs, ac præcipuè à Sacroſancta Tridentina Synodo tradita definita & declarata indubitanter recipio atque profiteor, ſimulquè contraria omnia atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas & reiectas, & anathematizatas, Ego pariter damno, reijcio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſpontè profiteor & veraciter teneo, eamdem integram & inuiolatam vſquè ad extremum

vitæ

vitæ ſpiritum cõſtantiſſimè Deo adiuuante, retinere & confiteri, atque a meis Subditis ſeu illis quorũ cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari quantum in me erit curaturũ. Ego idem N. ſpondeo, voueo, ac iuro; ſic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

Cap. IV. De Doctrina Chriſtiana.

§. 1. VT autem hoc Fidei ſemen in Chriſti fideliũ pectoribus radices altiùs agat, Sacroſancto Trident. Concilio inhærentes, Synodoſq; Prouinciales & Diœceſanas in hoc pręcipuè renouantes, omnibus curam animarum quoquo modo habẽtibus (ſub arbitrarijs pęnis Nobis reſeruatis) cuncta quæ in eis circa Doctrinę Chriſtianę inſtructionem à Prędeceſſoribus noſtris & à Nobis diſpoſita ſunt, diſtrictè nũc etiam præcipimus.

Potiſſimum verò vt extrà Florentiæ Ciuitatem vbiq; diebus ex præcepto feſtis (maioribus tamẽ exceptis ſolemnitatibus) parochianos quoslibet ſuos abſque ętatis aut ſexus diſtinctione Catholicæ Fidei rudimenta & myſteria illa, quorum cognitio medium eſt neceſſarium ad ſalutem, perdoceant, ſignoq; peculiari per tintinnabulum dato, iuxtà formam Cathechiſmi breuiſſimi aliàs impreſſi (quod penes ſe vnuſquiſque Parochus habeat) antè vel poſt Sacrum, quando ſcilicet in Eccleſia populus frequentior aderit, alta nõ accelerata, ſed diſtincta voce & vernaculo ſermone recitent Orationẽ Dominicam, Angelicam Salutationem, Apoſtolorum Symbolum, generalem Confeſſionem, Decalogi & Eccleſię Pręcepta, ſeptem ſacramenta, ſeptemq; Peccata mortalia cum his ſimilibus; monendoq; curent vt totus præſens populus eius vocem in huiuſmodi recitatione ſequatur, præcipuè verò vtriuſque ſexus pueri, qui loca viciniora teneant, quo facilius audiantur & audiant. Delinquentibus verò Parochis non tantum eo diſtrictiori modo quo poſſumus imperamus, verùm etiam iuxta facultatem à Sacroſancto Tridentino Cõcilio nobis conceſſam pro negligentiæ grauitate Cenſuras, ſuſpenſiones, & pænas pecuniarias, vt alias Decretum fuit, à

Nobis

Nobis declarandas comminamur, denunciantes populorum in communi & ſingulorũ in ſpecie lamentationes Nos eſſe admiſſuros, ita vt etiam omittentium expenſis idoneus alter præficiatur, qui eius vices pro tempore ſuppleat.

§.2. Iubemus inſuper iiſdem omnibus etiam Ciuitatis Parochis, vt patribus matribuſq; familias in Domino ſemper ſuadeant, ne filiorum inſtructionem in hiſce rudimẽtis omittãt; in Confeſſionibus verò non modo ſuadeant; ſed præcipiant. Quod ſi aliquando contigerit vt patres matreſue nedum tam grauem docendi curam neglexerint, ſed ipſimet etiam neceſſaria hæc ignorauerint, vel in eadem ignorantia voluntariè perſtiterint, vel curam filiorum in docendo omninò contempſerint; donec profęcerint diſcendo, docendoue ſtuduerint, increpationibus & pęnitentia caſtigent; idque non tantùm ſub eodem iuſſu Parochi, ſed omnes Confeſſarij etiam Regulares diligentiſſimè perficiant, ſibi in memoriam reuocantes grauiter peccare, ſi circà Fidei rudimenta ignaros abſoluant, iuxta Sacroſancti Tridentini Concilij diſpoſitionem.

§.3. Pręterea non tantùm ſupra commemoratis perſonis, ſed ludimagiſtris omnibus, eiſq; viris qui Societatibus Doctrinæ Chriſtianæ in hac religioſiſſima Ciuitate præſident, efficaciter iubemus, vt in hoc primò incumbentes reminiſcantur & euulgent Pium V. & Gregorium XIII. Indulgẽtias per quadraginta dies in ſingulos actus docentibus æque ac ediſcentibus conceſſiſſe.

§.4. Poſtremò eiuſdem Chriſtianę Doctrinæ pijſſimos Viſitatores noſtros in Domino etiàm atque etiàm rogamus, vt nõ in Ciuitate ſolum ſed per vniuerſam Diœceſim vigilantiſſimè pręſint, arguant, obſecrent, increpent, opportunè, importunè, vt ait Apoſtolus; eiſq; illam auctoritatem impertimur, quæ ad hanc inſtitutionem in ſuo robore ſeruandam opus erit.

Cap.V. De Prędicatione Verbi Dei.

§.1. POſt Doctrinam Chriſtianam ſuccedit ex ordine verbi Dei Prędicatio, quo alimento Fidei ſemen præ-

præcipuè in adultorum cordibus incrementum maximè recipit. Quapropter Nos vt tam grande munus ea maieſtate qua decet & à Parochis & ab alijs exerceatur, Sacroſancto Concilio Tridentino, Romanorum Pontificum Conſtitutionibus anteà poſteaq; emanatis penitus inhęrentes, in hac noſtra Synodali Conſtitutione veluti ſi de verbo ad verbum hic eſſent conſcripta, ea omnia pręcipuè renouamus quæ à Leone X. in Concilio Lateranenſi, & quę in Tridentino ſtatuta ſunt, ſicut etiam in Florentina Prouinciali Synodo Anni 1573. & in Diœceſana 1619. ſub eiſdem pœnis & eiſdem perſonis tam ſęcularibus Clericis quam Regularibus, quibus vel ratione officij vel alio quouis titulo prædicandi munus incumbat vel datum ſit, ea auctoritate qua potimur, etiam vti Sanctæ Apoſtolicæ Sedis Delegati iubentes, vt nihil omninò prætermittant quod ibi præcipitur.

§ 2. Maximè vt diurnis horis, nocturnis haud vnquã prædicent. Fidei profeſſionem ſaltem ſemel emittant. Examini ſe ſubyciant. Benedictiones & licentias priuſquam prædicent obtineant. Sanam Doctrinam ex Sacra Scriptura iuxtà Sanctorum Patrum interpretationem, reiectis fabulis & inanibus verbis pruritum auribus ingerentibus, ſumma grauitate morumq; integritate doceant. Indulgentias niſi ex noſtro mandato non publicent. Qui ſecus fecerit & monitus non immutabitur, incidet in laqueum Diaboli.

§. 3. Et licet verbum Dei non ſit alligatum, attamen cum Innocentius III. in generali Concilio Lateranenſi Excommunicatione alijsq; pęnis innodandos & plectendos illos eſſe præceperit, qui munus hoc Apoſtolicum priuatim aut publicè abſque Summi Pontificis vel Epiſcopi loci permiſſione exercerent; & Gregorius IX. laicis vniuerſis prędicandi officio interdici mandauerit: nos paterna caritate eoſdem laicos in Domino commonemus ex Prædeceſſorum noſtrorum exẽplo, vt ab huiuſmodi exercitio ſe abſtineant. Permittimus tamen pijs probatiſq; viris aliqua priuata & familiaria colloquia iuxta id quod in Diœceſana Synodo 1619. tit. 1. cap. 4. §. 8. & tit. 9. cap. vnic. §. 3. ſtatutum eſt.

Quod ſi quis eorum hiſce amabilibus monitis obedire de-

trectauerit, ſciat ſe pœnis omnibus in eadem Synodo & Summi Pontificis Gregorij IX. Conſtitutione tranſgreſſo ibus impoſitis fore obnoxium.

Cap.VI.De Sacramentis, & primum de Baptiſmo.

§. 1. CVm abſque Fidei ſemine quod ex Deo eſt, iuſtus non viuat: hinc fit quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus qui propter nimiam caritatem qua dilexit nos, in Cruce ſuaq; ſãctiſſima Paſſione iuſtificationem nobis meruit, eadem caritate diuini huius ſeminis incrementum in hominum cordibus quotidie concedat, & primum hoc elargitur per Baptiſmum, quod à Sacroſancto Concilio Tridentino Sacramentum Fidei nuncupatur.

Nos igitur tanta myſteria ritè perfici animo flagrantiſſimo cupientes, eidem Sacroſancto Concilio & Pontificum Conſtitutionibus inhærentes, omnia & ſingula quæ in Prouincialibus & Diœceſanis Synodis, ac peculiaribus Prędeceſſorum noſtrorum & noſtris ordinationibus ſtatuta ſunt, hic veluti ſi cuncta in eis poſita eſſent ad verbum deſcripta, renouamus & ſub eiſdem pęnis ſeruari præcipimus.

§. 2 Ruralibus præſertim Parochis diſtrictè præcipientes, vt in Eccleſia feſtis diebus ea populum doceant, quę iure diuino ad rectam huius Sacramẽti adminiſtrationem ſpectant, iuxta id quod in Pij V. Cathechiſmo, & in Romano Rituali Pauli V. iuſſu nouiter impreſſo, abſolutiſſimè ſunt explicata

§. 3. Præterea iubemus nullam mulierem tam in Ciuitate quam extrà per vniuerſam Diœceſim poſſe deputari ad obſtetricis munus exercendum, ni à Parocho ſpecialiter examinata & inſtructa in omnibus ad Baptiſmi ſacramentum neceſſarijs licentiam in ſcriptis obtinuerit. Quod ſi obſtetrices Parochorum monitis non morem geſſerint, vel ſine huiuſmodi licentia obſtetricãdi officium exercuerint, excommunicationem ipſo facto incurrant. Parochi vero tam rurales quam Ciuitatis, qui vel inſtructionem generaliter etiam prętermiſerint, vel licentiam imperitis mulieribus quoquo modo cõceſſerint, pęnis arbitrio noſtro declarandis etiam pecunia ijs

C mul-

mulctentur. Optimum tamen erit, vt omnis euitetur error, ipſas obſtetrices & mulieres edocere, vt infantes baptizent forma vulgari ſcilicet: Io ti battezzo in nome del Padre del Figliolo, e dello Spirito Santo Amen.

§. 4. Quandò autèm in Eccleſia ſolemniter vel adultus vel infans ſacro Baptiſmatis fonte abluendus erit, tunc Parochus ne verbum quidem memoritèr recitet, ſed prę manibus ſemper habens dictum Pauli V. Rituale, ex eo omnia diligentiſſimè & diſtinctiſſimè, nihil omninò prætermittendo, legat. Quod vt faciliùs aſſequatur, enixè pręcipimus vt illius frequēti lectione ea ſibi in mentem reuocet, quę in adminiſtratione huius Sacramenti generalitèr ſeruanda in eodem Rituali proponuntur. Quod ſi aliquandò contigerit vt imperitiæ vel omiſſionis apud nos arguantur, ſciant ſe rigoroſiſſimè caſtigandos.

§. 5. Fons Baptiſmalis & reliqua ſupellex ad id ſpectans, quæ debet eſſe decentiſſima, extrà actum baptizandi claudantur; ſicut Oleum Sanctum, Chriſma, & Sanctorum Reliquiæ, iſtarumq; rerum claues ſint penes Eccleſiæ Parochum, vel alium Sacerdotem pro eo Eccleſiaſtica munera exercentem, ſub pęna decem librarum, delatoribus & executoribus ęqualiter diſtribuendarum, quotieſcumq; tranſgreſſio huius Conſtitutionis ſequatur.

§. 6. Reminiſcantur autèm quod de Patrinis in eodem Rituali ſtatuitur, nec illos ad huiuſmodi munus admittant, quibus vetitum eſt; præcipuè Religioſos clauſtrales, quos nunquàm, Clericos verò ſæculares abſque noſtra vel generalis noſtri Vicarij licentia nullo pacto recipiant. Quod verò ad ætatem ſpectat, quatuordecim annis non iuniores Patrini accedant.

§. 7 Peracto Baptiſmo, ea quæ in eius miniſterium, vt ſudariola, candelæ, & quidquid aliud defertur, penes miniſtrū remaneant, vel in Eccleſia iuxtà conſuetudinem, nec vlli afferentium reſtituantur, alijsue tradantur: quinimò omnes abuſus & ſuperſtitiones per eoſdem miniſtros penitus aboleātur, noſtra etiàm, ſi neceſſitas vrgeat, auctoritate implorata. Qui ſecus fecerit, arbitrariè puniatur.

§ 8. Ple-

§.8. Plebani alijq; in quorum Eccleſijs fons Baptiſmalis exiſtit, vt in Synodo Florentina Prouinciali, & in Diœceſanis pręcipitur, librum legitimum habeant, in quo ſtatim ac vnusquiſque actus Baptiſmalis eſt completus, ad normam Ritualis pag. 365. adamuſſim omnia ſcribant, & in ſingulis annis de obſeruantia Conſtitutionis legitimè edoceant. Quandò verò contigerit vt ex eo libro fides alicui ſit in ſcriptis tradenda, quod gratis fiat, reminiſcantur Parochi ne proprias conſcientias graui onerent culpa, quouis prætextu contrà veritatem per eam atteſtantes. Quidquid fuerit in his prætermiſſum aut peccatum, ob rei grauitatem ſeuerè à Nobis pæna ſcutorũ duorũ in ſingulas vices, & alijs grauiſſimis compenſabitur.

§.9. Cumque à Prędeceſſoribus noſtris & à Nobis iure optimo ſub pęnis viginti aureorũ ſtatutum ſit vt omnes ſæculares Regulareſue Parochi benedictioni Sacri fõtis in Eccleſijs Plebium, quibus ſubiecti ſunt, interſint & adiuuent: ſtatutum hoc in ſuo robore diutiſſimè permanere cupientes, in hac noſtra Synodali Conſtitutione omnia aliàs diſpoſita pariter renouamus; iubentes ſub eadem pœna, vt omnes per ſe vel per alium idoneum Sacerdotem accedant, interſint, & adiuuent, nõ tantùm in Baptiſmalis fontis benedictione ſed in tota diuinorum officiorum & Miſſæ celebratione, ac ſine licentia in ſcriptis à Plebano obtenta nemo huiuſmodi obſequium prætermittat. Quod ſi contingat vt fons Baptiſmalis alter extet in eadem Plebania, tunc illius Eccleſię Rector vbi erit fons, aliquibus Sacerdotibus de licentia ſui Plebani ad benedictionem perficiendam aduocet; tranſgreſſores pari viginti aureorum mulcta plectantur.

Cap.VII. De Sacramento Confirmationis.

§.1. POſt Baptiſmum, alterum ſequitur incrementum, Fidei Confirmationis ſcilicet Sacramentum, quo confirmat iuſtos Dominus. Quoniam autem huius Diœceſis inualuit conſuetudo, vt in Metropolitana Eccleſia Florentina quotannis ab Archiepiſcopo per tres continuos dies ſolemnitatis Pentecoſtes publicè miniſtretur; cumque proptèr

ſuſcipientium multitudinē eorum nomina tunc adnotari minimè poſſint: ideò Nos ſummoperè cupientes ne Sacramētum iſtud,quod indelebilem Characterē imprimit,reiteretur, neque etiàm abſque debita veneratione ſumatur, renouantes id quod à Prędeceſſoribus noſtris multoties ſalubritèr decretum, & à ſummo Pontifice Paulo V. in Rituali ſanctiſſimè eſt conſtitutū; Ruralibus Parochis diſtrictiſſimè eorum cōſcientias grauiter onerando præcipimus, vt ſaltèm Dominica Pēteſcoſti antecedente intèr Miſſarum ſolemnia de hoc Sacramento populo verba faciant, ſeuerè iubentes ne ſine pręcipua a ſe obtenta licentia vllo pacto Florentiam vel alio etiàm extrà Diœceſim, ad Confirmationem ſuſcipiendam adulti pueriue proficiſcantur. Pręterea caueant ne minoribus ſeptennio completo, imperitiſue circà Fidei rudimenta licentiam concedant; adultis potiſſimùm in memoriam reuocent ne ad hoc Sacramentum ſumendum accedant, ni priùs peccata confeſſi fuerint, vel actum contritionis elicuerint. Suſcepta autèm Confirmatione præcipient vt vnuſquiſque in ſua Parochia ſe offerat Parocho, qui eorum nomina ad formam Ritualis pag. 367. in libro ad hoc præcipuè deſignato, quoad fieri poterit, diſtinctè per ſingulos annos & ordinatim deſcribat.

§ 2. Parochis verò Florentinę Ciuitatis eodem conſcientiæ grauamine, & maiori qua poſſumus efficacitate iubemus, vt vnuſquiſque vel quandò aqua benedicta parochianorum domus luſtrātur, vel opportuniori tempore, ſi cōtinget, omnibus ſuę Parochię cuncta præcipiant, quæ ſupra ruralibus Parochis ſunt impoſita, efficiantq; vt Confirmatione peracta ſingula eiuſdem anni Confirmatorum ſuæ Parochiæ nomina ex Ritualis norma in peculiari libro, vt ſupra diſponitur, adnotentur.

§.3. Huius autèm Conſtitutionis obſeruantiæ vnoquoque anno Archiepiſcopalis Curiæ Cancellario tam a Ciuitatis quàm à ruralibus Parochis notitia detur; ſciantq; omne Deo primùm, poſtmodum Nobis obſequium gratiſſimum obtemperantes in tam graui re præſtaturos, quod trāſgreſſores agnoſcent, qui grauibus arbitrarijs pœnis ſine ſpe veniæ ſubijcientur.

Cap. VIII. De Sacramento Euchariſtiȩ.

§ 1. COr ſincerum, hoc eſt, ab omni lethali culpa mundatum, in auguſtiſſimo Euchariſtiȩ Sacramento, vt inquit D. Thomas, firmat ſola Fides; cuius ſemen grano ſinapis altiùs eleuatum, nubes, aera, Angelos, ſideraq; tranſgrediens, Verbum Dei in ipſo ſinu Patris inuenit, totoq; hauſit pectore: ita vt eius altitudinem diuitiarum ſcientiæ & ſapientiæ, de quibus non licet homini loqui, pleno dominio poſſideat. Nos igitur in tanta diuinæ caritatis admirabili plenitudine gratias agentes Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui augendo Fidem noſtram tanti muneris largitate, eleuat pauperes & implet benedictione, hoc Synodali Decreto ſicut prorſus Oecumenicis Concilijs & potiſſimùm Tridentino, Pontificumq; Conſtitutionibus inhæremus; ita omnia Synodalia Florentinæ Eccleſiæ Prouincialia & Diœceſana ſtatuta, in quibus de Sanctiſſimis hiſce myſterijs agitur, ſpecialitèr renouamus & confirmamus, ſub ijſdem tàm ſpiritualibus quã temporalibus pœnis iubentes, vt ſicut tranſactis temporibus magna noſtri cordis exultatione ſeruata ſunt, ita in poſterum æqua & maiori etiàm obſeruantia ſeruentur.

§. 2 Præcipuè autèm diſtrictiſſimè imperamus omnibus tã ruralibus quàm Ciuitatis Parochis & ijs Sacerdotibus etiã Regularibus, ad quos Sanctiſſimæ Euchariſtiȩ cuſtodia ſpectat, vt illius tabernaculum ab omni rimula & paruo quouis foramine liberum, foris conopeò decentiſſimo circundent, intùs ſerica veſte alba, rubraue vndique exornent; decentem Pyxidem, in qua Corporale non reponatur, vel Palla, dum Sacramentum in ea ſeruatur, albi coloris velo cooperiant, eiq; lineum mundumq; corporale ſupponant. Nihil aliud in dicto Tabernaculo licèt Sanctiſſimum Sacramentum in eo non adſit, nec etiàm Sanctorum Reliquias nec ſacra Olea recondant; benè ſempèr claudant, clauemq; penès ſe retineant ſemper, nemimq; niſi Sacerdoti tanta myſteria, & quoad fieri poteſt, etiàm ea omnia quæ in eorum vſum electa ſunt, tractãda vel de loco ad locum amouenda concedant, niſi arbitrariè puniri velint.

§ 3. Lam-

§. 3. Lampadem antè auguſtiſſimum hoc Sacramentum, etiam dum in Tabernaculo clauſum reconditur, die noctuq; vt aliàs ſancitum fuit, ſemper ardentem conſeruent, ſub pœna ſcutorum quatuor.

§. 4. Miniſtrans autem Euchariſtiam, vel inſeruiens miniſtranti, & etiàm Laici cuiuſcumque generis ſint, nihil omninò recipiant, nec etiã à ſponte dantibus; neque pro eleemoſina peluiculæ, burſæ, capſulæ exponantur, aut circumferantur, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendę ab eo qui hoc fecerit, vel fieri permiſerit.

§. 5. Prætereà nullus Sacerdos in quauis dignitate conſtitutus, vel etiàm Regularis auguſtiſſimum hoc Sacramentum geſtet aut miniſtret ſine Alba & Stola, quę nunquàm ſit nigri coloris; vel ſaltẽ abſque ſuperpelliceo iuncta ſtola, quamuis habeat Rocchetti vſum, vt in Rituali ſtatuitur. Monemus ne regulariter ex Patena, ſed ex Pyxide Euchariſtia miniſtretur, & in purificatione tradenda laicis, qui hoc Sacramentum ſuſceperint, non Calix, ſed vas vitreum porrigatur; quod tamen vas nunquàm ſudariolo abſtergatur.

§. 6. In priuatis Oratorijs Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum per modũ viatici, aut in die Paſchatis, tàm à ſęcularibus quàm a Regularibus Sacerdotibus ne miniſtretur, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ.

§. 7. In quauis autẽ expoſitione Sãctiſſimi Sacramẽti in exponendo nulla fiat Proceſſio, ſed recto tramite à Sacerdote in deſtinatum locũ collocetur. in fine autèm permittitur dummodò nõ fiat extrà ambitum Templi, ſed intus: quod eſt etiã ſeruandum in feria quinta & ſexta maioris hebdomadæ, vt decreuit Sacra Rituum Congregatiò 6. Auguſti 1591. Contrafacientes in poſterùm deſperent ampliùs a Nobis exponẽdi licentias ſe eſſe conſecuturos.

§. 8. In huiuſmodi verò expoſitione nunquàm cantanda eſt Miſſa Defunctorum, ſed Votiua de Sacramento tum in ipſo initio tùm in fine expoſitionis; in feſto autèm primę vel ſecundæ Claſſis, ſiue in Dominica priuilegiata, in Collegiatis vel duæ Miſſæ cantentur, feſtiua ſcilicet & Votiua de Sacramento, vel vna tantùm de die cum commemoratione Sanctiſſimi Sacramenti.

§. 9. Con-

§.9. Concionatores, quique coràm Sacramento in Altari expoſito verba facient, capite ſemper aperto ſtent: cæterùm omnia ſeruentur quæ in Rituali Pauli V. de hoc almo Sacramento ſtatuta ſunt.

§.10. Quoniam verò in Synodo anni 1637. ſub tit. 13. vetuimus ne feria quinta, ſexta, & Sabbato Sancto maioris hebdomadę neque ſacrificium Miſſæ, neque Sancti Sepulcri cœremonię fierent, pręterquàm in Eccleſijs Parochialibus & Regularium vtriuſque ſexus, in quibus aſſeruatur per totum annum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quod modò expreſsè confirmamus ſeruariq; mandamus, vt ibi; & ſub die 27. Martii 1638. peculiari reſcripto declarauimus noſtrã non fuiſſe intentionem in huiuſmodi prohibitione comprehendendi Oratoria S. Ioannis, & S. Michaelis in Horto huius Ciuitatis, quę ſtante numero Sacerdotum quotidiè illic reſpectiuè inſeruientium pro Collegiatis facilè haberi poſſint, ad publicam noſtræ voluntatis declarationem in præſenti Synodali Conſtitutione reſcriptum illud omni meliori modo confirmamus.

§. 11. Exponere autèm Sanctiſſimum hoc Sacramentum, vt ſæpiùs à Prędeceſſoribus noſtris, & à Nobis diſpoſitũ fuit, ſine noſtra expreſſa licentia, nec Regularibus quibuſcumq; etiàm in propria Eccleſia, non licet, vt in Pontificijs Diplomatibus apparet, & Sacra Congregatio Cardinalium iuſſit 27. Maij 1603. quod Epiſtola Eminentiſſimi Cardinalis Bandini de eiuſdem Sacræ Cõgregationis mandato Prædeceſſori noſtro ſcripta 10. Februarij 1626. confirmauit, & eadem Sacra Congregatio iterùm idem ſtatuit 28. Februarij iniunctis varijs pœnis, Eccleſiam etiàm vbi ità expoſitum fuit ſine Ordinarij licentia Interdicto ſubijciendo. Pareant itaquè omnes, ni pœnas illicò ſubire velint, & ſciant Nos licentias conceſſuros, dummodò cauſa ſit publica, & de ſui natura approbanda. Item honeſto loco decentiq; apparatu ad tantum Sacramentum adorandum fiat expoſitio. Coràm Sacramento ardeant ſemper, dùm expoſitum eſt, duodecim ſaltèm cerei, per reliquas autem Eccleſiarum partes, quãdò obſcuræ appàparatu redditæ forent, lumina ad pellendas tenebras vbiq; diſtribuantur.

§.12. Quo-

§.12. Quoniam verò in Diplomatibus Apoſtolicis pro Indulgentia conſequenda in expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti per Orationem quadraginta horarum apponitur clauſula, (vt ſint horæ continuatæ non interpolatæ) quod aliquibus ab hinc annis ſeruatum non fuit; cumque de hoc literas Romã iterùm atque iterùm miſerimus, & non obſtantibus in contrarium adductis rationibus reſponſum ſemper accepimus ſeruandum eſſe ſine mutatione Diplomatum formulæ ſensũ, & ad literam intelligendum, vt in Vrbe fit: Ideò omninò præcipimus, in illis locis etiàm Confraternitatibus laicorum, inquibus ex Indultis Apoſtolicis Oratio quadraginta horarum cum expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti celebranda erit, quando in Diplomatibus adſit clauſula *horarum continuatarum, non interpolatarum de licentia Ordinarij* ne interpolate, diurnis ſcilicèt tantũ horis, quamùis per tres dies continuos, ampliùs fiant ~~quando~~ licentiam concedemus; iuncto quod noctu ianuæ ſemper claudantur, vbi talis expoſitio fiet, & tunc temporis fœminæ nunquàm nec ingredi, nec ad breuiſſimum tempus, cuiuſuis conditionis fuerint aut ætatis, permanere ibidèm permittantur. Ardeant verò ſemper coràm Sanctiſſimo duodecim cereæ candelæ vt ſupra; Sacerdos ſaltẽ vnus ad Sacramenti cuſtodiã, & ad omnes caſus aſſiduè prõptus ibidèm ſtet; duoq; ad minùs orantes genuflexiq. coràm Sanctiſſimo adſtent ſine aliqua intermiſſione, ſeruatis inſuper omnibus ſuprà de hac expoſitione diſpoſitis. Qui ſecùs fecerint, licentiæ ampliùs à Nobis obtinendæ ſpem omnino deponant, ſciantq; locum Interdicto ſuppoſitum fore ipſo facto, non obſtante omni quauis & immemorabili conſuetudine.

§. 13. Quod ſi aliquando contingat, vt licentia à Nobis Sanctisſimi Sacramenti exponendi ſine Diplomatibus Pontificijs petatur, ita vt non continuata die nocteq; per quadraginta horas fiat Oratio Sanctisſimo Sacramento ſemper expoſito, ſed interpolata diurnis tantùm horis, quæ mentalis Oratio dici ſolet: monemus Nos pro illis locis & Eccleſijs tantummodò conceſſuros, in quibus aſſeruari ſolet asſiduè Sanctisſimum Sacramentum.

§.14.

§. 14. Licèt autem apparatus quandò præcipuè exponitur publicè adorandum Sanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ, vel quando in maiori hebdomada in Sepulcro reconditur, & alij omnes occaſione feſtiuitatum debeant eſſe decentiſſimi; ſunt tamen ab eis omnia profana, vel quæ pro adoratione & religione curioſitatem & mentis euagationem excitant, amouenda.

§. 15. Ideò monemus prçter argentea candelabra cū candelis, & vaſa in Altaribus alibiquè cùm floribus diſpoſita, ne Pollubra, Paterç, lances & ſimilia, domibus priuatorum argētea ſupellectile expoliatis, exhibeantur. Maximequè laudaremus ſi, noſtra hac adhortatione efficiente tollerentur fictç nubes, aliæq; etiàm cæleſtium vel Sacrarum rerum impropriæ repreſentationes, quas frequentèr cum indecentia, vanitate, tumultu, maximoq; diſpendio fieri contingit.

§.16 Ac ſicuti confirmamus ſeruariq; omninò mandamus prohibitionem Synodi Anni 1637. tit. 19. ne in pectore Crucifixi neque in corde vitreo incluſum, aut pendens ab aliqua Imagine, aut alio ſimili modo parùm dignè, ſed in cuſtodia decenti conſuetæq; formæ Sanctiſſima Euchariſtia publicè exponatur: ſic hortamur, vt recto tramite ab anteriori facie Altaris quantùm fieri poteſt, non per obliquas vias, in locum deſtinatum vel à Sacerdote vel à Diacono collocetur.

§.17. Quod autèm ad Miſſarum celebrationem attinet, peculiaritèr renouamus ea omnia, quç à Prædeceſſoribus noſtris, & nouiſſimè à Nobis in Synodo Anni 1637. ſtatuta ſunt.

§.18. Primò in duplicibus Feſtiuitatibus licèt non ex præcepto, inter Octauas priuilegiatas, ſcilicèt Paſchatis, Pentecoſtes, & Epiphaniç, in Feria quarta Cinerum, in Vigilijs Natiuitatis Domini & Pèntecoſtes, & in omnibus diebus èx prçcepto Feſtis, Miſſç Votiuç priuatæ (quas planas vocant) diuerſæ ab officio diei, etiàm Defunctorum ab vllo noſtrç Diœceſis Sacerdote in Eccleſijs, Oratorijs, Capellis, aut laicorum Confraternitatibus, nunquàm celebrentur.

§. 19. In Feſtiuitatibus autèm ex præcepto, & infrà Octauas Paſchatis & Pentecoſtes, & in diebus Octauarum iſtarum duarum ſolemnitatum, & Epiphaniæ Domini, Miſſæ voti-

uæ diuerſæ ab Officio diei nec etiam cantentur.

§. 20. Sed quando in aliqua Eccleſia adſit immemorabilis conſuetudo vel obligatio, poterit loco Miſſæ Votiuę cantari Miſſa conformis Officio illiùs diei.

§. 21. Excipiuntur ab hac regula quando adſit cadauer defũcti; quo caſu in feſtis duplicibus in diebus ex præcepto feſtiuis, & in Octauis Priuilegiatis, vnica Miſſa de Requie tantùm cantari poterit; & quandò cantanda eſſet Miſſa Votiua pro re graui & publica, in qua concurſus populi & Magiſtratus laicorum vel extraordinariè vel ex more ad eam audiendam conueniunt; quia tunc cantari poterit ea Votiua Miſſa, quæ ſit occurrenti caſui reſpondens. Quibus duobus caſibus exceptis, tranſgreſſores tàm celebrantes quàm celebrari permittentes, aut ſuadentes aut cogentes, non obſtantibus in cõtrarium omni quauis immemorabili conſuetudine & priuilegio preter Apoſtolicum, pœnas luent arbitrarias, & à Nobis declarandas.

§. 22. Præterea prohibemus Parochis præſentim vrbanis, Sacriſtis, vel alijs quibuſcumque, etiam Regularibus, & eis, ad quos ſpectat Eccleſiarum, Oratoriorum, vel Confraternitatum cura, ne in diebus in quibus ibi celebratur aliquod feſtum, vel ſit Anniuerſarium Defunctorum, vel in die obitus, vel alijs diebus & occaſionibus, in quibus Sacrum faciendum ſit, Sacerdotibus celebrantibus tradant niſi taxatam & conſuetam eleemoſinam ſolidorum 13. & denariorum 4. diebus ferialibus; at in diebus ex præcepto vel ex deuotione feſtiuis duplicatam; & in Solemnioribus poſſint etiam triplicatam tribuere, ſub pœna contrafacientibus arbitrio noſtro imponenda & declaranda. Facultates vero peculiariter ſiuè generaliter in ſcriptis vel ore tenùs a Nobis conceſſas, vt pinguiores pro Miſſis dentur eleemoſinę, per hanc Conſtitutionem reuocamus, caſſamus & annullamus, non obſtante in contrarium &c.

§. 23. Itèm quoniam ad noſtras aures peruenit, pro celebratione Miſſarum contra id quod à Sacra Congregatione per Decretum 21. Iunij 1625. editum decernitur, in multis Ciuitatis locis & extra, abuſum olim deletum iam eſſe denuò

intro-

introductum, vt capſulæ pro mortuis exponantur, & laici quæſtores capſulis, burſis, & peluiculis incertas eleemoſinas vel pro libito vel abſque noſtro mandato petant: ideo Nos animi non modica perturbatione hac inobſeruantia cognita, cupientes abuſus omnes radicitùs extirpari, præcipimus diſtrictiſſimè, mandatum executiuum virtute præſentis Conſtitutionis relaxātes, vt capſulę omninò & ex omni loco pro mortuis affixæ vel poſitæ amoueantur & tollantur, noſtriſq; executoribus imponimus vt eas vbiquè ſint auferant, & ablatas ad noſtræ Archiepiſcopalis Curiæ Cācellarium afferant, à quo executionis huiuſmodi mercedem reportent iuxtà qualitatē & quantitatem pecuniarum in ijs repertarū; quod reliquum verò ſuperfuerit pęnes ſe ipſe Cancellarius ad noſtrum arbitrium conſeruet.

§. 24. Inſuper omnibus tàm laicis quàm Eccleſiaſticis in poſterùm vetamus, ne incertas eleemoſinas pro celebratione Miſſarum ſub quouis prætextu formaue ſine licentia in ſcriptis, præuia facti cognitione, à Nobis vel à Vicario obtinenda, petant; & omnes licentias vſquè hodiè quomodocumq; conceſſas reuocamus, capturæ & amiſſioni conquiſitarum eleemoſinarum tranſgreſſores ſubijcientes. Oratoria autèm omnia & Capellas, ſi in ipſis ex incertis ac minutatìm collectis eleemoſinis Sacrū celebrabitur, ipſo facto interdicimus; Sacerdotes verò qui ibi ex ſupradictis eleemoſinis celebrauerint, à Diuinis illicò ſuſpendimus. Parochis verò tàm Ciuitatis quàm ruralibus & Confeſſarijs iubemus, vt parochianos & pœnitentes de hac noſtra Conſtitutione certiores reddant.

§. 25. Inſuper monemus noſtræ Diœceſis tàm Seculares quàm Regulares Sacerdotes in quauis dignitate conſtitutos, prout Sacra Rituum Congregatio die 17. Iulij 1612. & 7. Auguſti 1627. cenſuit & decreuit, non licere præterquàm Epiſcopis Miſſas celebraturis paramenta ab Altari recipere, neque duo illis debere cum cottis miniſtrare. Si deſit autem Sacriſtia vel ſeparata menſa, in neceſſitatis caſibus, nunquàm in medio Altaris eſſe paramenta collocanda, ſed in cornu Euāgelij, vbi Sacerdos non Epiſcopus ipſe ſe paramentis induat.

§. 26. Inſuper omnimodè præcipimus (caſibus maximæ

neceſſitatis excepitis) ne Miſſæ Sacrificiũ ſine miniſtro offeratur; miniſter verò ſit maſculus, & quoad fieri poteſt habitu Clericali primaq; Tonſura initiatus, & ſuperpelliceo indutus. Fœminæ nunquàm, nec etiam in neceſſitatis caſibus, circa Altaris miniſterium adhibeantur, prçcipuè in Eccleſijs Monialium, vbi frequentiùs hic error defectu miniſtri contingit. Contrafacientes tàm Sçculares quàm Regulares vltra pœnas ſpirituales quas contrahunt, ſeuerè ad arbitrium noſtrum punientur.

Ragunate §. 27. Poſtremò cum magno animi noſtri mçrore perceperimus in Miſſarum nouarum celebratione multa in Eccleſijs indecentiſſimè, & cum maximo bonorum ſcandalo perpetrari, quibus ex ipſa delinquentium confeſſione Domus Dei & Orationis fit ſpelunca latronum, Tridentino Concilio & Summi Pontificis iuſſu Nonis Octobris 1573. emanato inhçrentes, & Florentinas Prouinciales & Diœceſanas Synodos partim renouantes; in nouis Miſſis, in omnibus noſtræ Diœceſis Eccleſijs, etiàm Regulariũ, vel pulicis Oratorijs aut Capellis, vbi Miſſa celebratur, prohibemus ne fiant conuentus illi quos vernaculo ſermone appellant *le Ragunate*, neue ibi huiuſmodi occaſionibus tradantur aut recipiantur quçcumque oblationes. Quod ſi quis vir aut mulier, laici vel Eccleſiaſtici, amore Dei vel beneuolentiæ gratia elargiri nouo Sacerdoti aliquid velit, priuatim extra Eccleſiam & extra illud tempus id faciat. Si quis verò Sacerdos ſub quouis prætextu, etiam ex interpretatione huius Conſtitutionis (nàm vltra id quod ſimpliciter ſonat, aliter etiam accipi, vel ab ea extraneũ ſenſum extorqueri quoquo modo vetamus) obedire noſtræ iusſioni neglexerit, & conuentus iſtos aliquo modo, à laicis vel Eccleſiaſticis etiam Regularibus, vel a quibuſcumq; alijs tàm viris quàm mulieribus, directè vel indirectè, per ſe vel per alium petendo vel procurando, in ſua noua Miſſa vt ſupra faciat, vel intuitu ſui fieri quoquo modo ſinat, illicò Eccleſiç vel Oratoria, in quibus conuentus iſti celebrabuntur, & oblationes tradentur aut recipientur, Interdicto ſubiaceant ipſo facto. Sacerdotes verò illi, qui nouas Miſſas cum iſtorum cõuentuum vel oblationum interuentu celebrauerint, quiq;

in

in proprijs vel ſibi quoquo modo commiſsis Eccleſijs ita celebrari permiſerint, vel perſuaſerint, aut opem tulerint, à Diuinis ipſo facto ſuſpenſi ſint. Laicos verò omnes dilectiſſimos filios paterno & maiori quo poſſumus caritatis zelo monemus, vt affectu ſincero ad maiorem diuini cultus decentiã, huic noſtræ iusſioni obedientiæ obſequium præſtent; locus enim, vt ſciunt, terribilis & Sanctus eſt, Domus Dei, Porta Cœli, in qua decet Sanctitudo; ibi enim orante pro delictis populi Sacerdote coràm immenſa Diuini Numinis Maieſtate, innumeri Angelorum cętus tremebundi circumſtant.

Cap. IX. De Sacramento Pœnitentiæ.

HVcusquè Synodalibus Decretis ea, quæ ad ſemen Fidei ſerendum, confirmandum & augẽdum vſui erant, renouata ſunt. Verùm quoniam inimicus homo peccatorũ zizania ſuperſeminat: ideò adueniente quotidiè meſſis tempore, operarijs Sacerdotibus nonnulla in memoriam ſunt reuocanda, quæ in Pœnitentiæ Sacramento pro neceſſarijs habentur ad zizania euellenda & comburenda abſquè boni ſeminis detrimento.

§. 1. Igitur pro debito Archiepiſcopalis muneris in hoc maximè vigilantes, primùm Tridentino Concilio & Romanorum Pontificum Conſtitutionibus inhæremus, ac omnia quæ in Eccleſię Florentinę Synodis ſpecialibusq; Decretis tã à Prædeceſſoribus noſtris quàm à Nobis ſtatuta ſunt, ita nunc renouamus & cõfirmamus, vt omnia in eis ordinata pro hìc expreſſis haberi velimus, & ad vnguem ſub iiſdem pœnis ſeruari iubeamus.

§. 2. Ad hoc autem Documenta pro Confeſſarijs Ciuitatis, & vniuerſæ Diœceſis, cum enumeratione Caſuum reſeruatorum, & forma abſolutionis aliàs Nobis præcipientibus Anno 1637. Florentię impreſſa, denuò typis edenda mandauimus; quorum exemplar vnuſquiſque Parochus & Confeſſarius penes ſe habeat, & frequenter perlegat, aut Confeſſionarijs vnà cum Bulla quæ in die Cœnæ Domini legitur, & pijs Imaginibus, pręcipuè Dominicæ Paſſionis myſteria repręſen-

præſentantibus affigat. Tranſgreſſores autèm arbitrarijs pœnis iuxtà qualitatem negligentię coercebimus.

§. 3. Secundo loco, licentias ore tenùs tàm Sæcularibus quàm Regularibus Sacerdotibus curam animarum non habentibus, exceptis noſtrę Metropolitanæ Canonicis, tàm à Nobis quàm à generali noſtro Vicario vſque hodie quaſcumque conceſſas, reuocamus, & nullas inpoſterùm eſſe declaramus.

§ 4. Tertiò quoniam non ſolùm Pius IV. ſed etiam Gregorius XV. Sanctiſſimę memorię Summi Pontifices, vt conſtat ex Bulla 30. Auguſti 1622. incipiente *Vniuerſi Dominici Gregis* nefandum horrendumq; ſolicitationis in Confeſſione ſacrilegium pœnis grauiſſimis procùl ab vltimis hominum mentium finibus amandare maximè concupierunt, & Nos tantorũ Pontificum licèt indignè veſtigia ſanctiſſimà proſequentes, verba eiuſdem Bullæ diſpoſitiua hoc loci tranſcripſimus, quæ ſunt.

§.5. Ac prętere ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo cõtra eoſdem procedendi ab aliquo dubitari poſſit, ſtatuimus, decernimus, & declaramus, quod omnes & ſinguli Sacerdotes tam Sæculares, quam quorumuis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectorum, Ordinum, Inſtitutorum, Societatum & Congregationum Regulares, cuiuſcumque dignitatis & præeminentiæ, aut priuilegio muniti exiſtant, qui perſonas, quæcumque illæ ſint, ad inhoneſta ſiuè inter ſe, ſiuè cum alijs quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confeſſionis, ſiuè ante vel poſt immediatè, ſeù occaſione vel prętextu Confesſionis huiuſmodi, etiam ipſa Confesſione non ſecuta, ſiuè extra occaſionem Confesſionis in Confesſionario aut in loco quocumque, vbi Confesſiones Sacramentales audiantur, ſeù ad Confesſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem Confesſiones audire, ſolicitare vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos aut inhoneſtos ſermones ſiuè tractatus habuerint, in Officio S Inquiſitionis ſeuerisſimè vt infrà puniantur. Et prætereà omnes Hæreticæ prauitatis Inquiſitores & locorum Ordinarios omnium Regnorum,

(2

rum
& ter-
mnes
er his
it in
on of
a, Cō-
nt; &
abiles
tantijs
ciorū,
iç in-
ulares
im in
nant,
s me-
ri pu-

, quos
obliga
es &c.

Hic collocentur Præcepta & pro confeſſarijs &c.

s 1624
ini a
ata, vt
ij pœ-
arandi
e inter-
entur,
ſſertio-
ontifici
c Con-
pœni-
ibi de-
im Sa-
m Sæ-
cularibus

præſent
nis iuxt.
§. 3.
quàm R
benibu
Nobis c
cumq ue
declaran
§ 4. T
gorius X
ſtat ex B
Gregis ne
ſacrilegi
mentium
tantorũ I
quentes,
pſimus, c
§. 5. A
bus impo
quo dubi
quod om
rumuis e
licæ imm
cietatum
gnitatis &
perſonas,
uè cum al
lis Confeſ
vel pretext
ne non ſec
teſſionari
mentales a
ſimulante
care tentau
nes ſiuè tra
riſſimè v
uitatis

rum, Prouinciarum, Ciuitatum, Dominiorum, & locorum vniuerſi Orbis Chriſtiani in ſuis quemque Diœceſibus & territorijs, per has noſtras literas etiam priuatiuè quo ad omnes alios ſpecialiter ac perpetuò Iudices delegamus, vt ſuper his contrà prędictos ſimul vel ſeparatìm in omnibus, prout in cauſis Fidei, iuxtà Sacrorum Canonum formam nec non officij Inquiſitionis huiuſmodi Conſtitutiones, Priuilegia, Cōſuetudines & Decreta, diligenter inquirant & procedant; & quos in aliquo ex huiuſmodi nefarijs exceſſibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate & circumſtantijs ſupendētes ab executione Ordinis; priuationis Beneficiorū, Dignitatum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuę inhabilitatis ad illa, necnon vocis actiuæ & paſſiuę ſi Regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes & carceres, etiam in perpetuum, abſque vlla ſpe gratiæ aliaſq; pœnas decernant, eos quoque ſi pro delicti enormitate grauiores pœnas meruerint, debita pręcedente degradatione Curiæ Sęculari puniendos tradant &c. & Paulò inferiùs inquit.

Mandantes omnibus Confeſſarijs vt ſuos pœnitētes, quos nouerint fuiſſe ab alijs vt ſuprà ſolicitatos, moneant de obligatione denunciandi ſolicitantes, ſeù vt præfertur tractantes &c.

Hic collocentur Præcepta & pro confeſſarÿs &c.

QVę pars Bullæ ſub Vrbano VIII S.P. 17 Septēbris 1624 & 3 Octobris 1626. per literas Cardinalis Millini à S.Congregatione coràm Sanctiſſimo fuit ampliata, vt teneantur denunciare Confeſſores ſolicitantes etiam ij pœnitentes qui eis conſenſerint, cum facultate non declarandi ſe conſenſiſſe, imò & cum ſecuritate ſe non fore de hac re interrogandos, & etiam ſi ipſi conſenſum datum confiterentur, non fore ſcribendam nec recipiendam huiuſmodi aſſertionem; & adhuc etiam renitente pœnitente Summo Pontifici in tali caſu placuit, vt ab Epiſcopo ſeù Inquiſitore tùnc Confeſſario detur facultas recipiendi medio iuramento à pœnitente per ſcripturam denunciationem, eamq; ſtatim ſibi deferendi. Si quid verò grauius contigerit, voluit vt cum Sacra Congregatione participetur.

In literis verò anni 1626. habetur quod omnibus tàm Sæcularibus

cularibus quàm Regularibus examinandis Confeſſoribus in actu approbationis paragraphus Bullæ Gregorij XV. incipiens *Mandantes* legatur, vt ſciant & timeant pœnas, quibus caſtigabuntur ſi pœnitentes ſuos de obligatione denunciandi non inſtruant & moneant.

Et licèt in tota religioſiſſima Diœceſi noſtra neque etiam mentis imaginatione percipere poſſimus Sacerdotem vllum tàm impia ſcelera cogitaturum: attamen ne eis quamàis minimus permittatur ingreſſus, præter tàm grauium ſupra deſcriptarum in Bulla pœnarum animaduerſionē, à Diuinis ipſo facto ſuſpendimus, tantaq; ſeueritate ad huiuſmodi ſupplicia proceſſuros Nos eſſe declaramus, vt nulla vnquàm reis nec precibus nec interceſſionibus ſpes venię aut mitigationis poſſit affluere.

Cap. X. De Sacramento Extremę Vnctionis, & ibi de Commendatione Animę, & libro Defunctorum.

OLei effuſione ſanitas vulnerato homini reddita fuit, & quinque (fatuæ licet) Virgines Sponſum expectantes Oleo tantùm lampades ſuas propè extinctas ornare crediderunt. Quantò magis firma fide tenendum eſt Extremæ Vnctionis Oleum à Chriſto Domino in Sacramentum inſtitutū, & in Catholica Eccleſia ab Epiſcopis in nomine Domini (quod oleum effuſum dicitur) conſecratum, tanquàm animarum noſtrarum plagis opportunum, extremis horis remedium allaturum, & fidei lampadem in infirmitatum anguſtijs contrà vehementiſſimos Satanę flatus ſplendeſcentem conſeruaturum?

§. 1. Vniuerſum itaquè hortamur noſtræ Diœceſis pijſſimum populum, vt in mortis articulo ad hanc Sacratisſimam Vnctionem magna ſe fiducia pręparantes, fidem & piam voluntatem etiam ipſi conferant, vt per ipſum Sanguinis Chriſti meritum, hoc eſt, Diuinam gratiam conſequantur.

§. 2. Sacerdotibus verò tam Sęcularibus quàm Regularibus, quibus pro ſui muneris debito illius adminiſtratio iuridicè eſt iuncta, Sacro Tridentino Concilio inhęrentes, & Florē-

tinas

tinas Synodos Prouinciales Diœceſanaſq; in hoc pręcipuè renouantes, expreſsè iubemus, vt alacriter diligenter decenterq; tanta myſteria infirmis adhibeant, adamusſim omnia quæ in Pauli V. Rituali optimè de hoc Sacramento ſtatuta ſunt, obſeruantes, nec particulam quamùis minimam ibi poſitam omittentes.

§. 3. Illud autem præcipua declaratione repetimus, quod in poſtrema Synodo Anni 1637. à Nobis ſtatutum fuit, vt ſub duorum ex auro ſcutorum pœna, omnes Plebani vnoquoq; anno ex noſtra Metropolitana Eccleſia Oleum conſecratum vel per ſe vel per alium Sacerdotem ſumant, & Rectores tàm Sæculares quàm Regulares ab eis, in quorum Plebania ſunt, pari modo per ſe vel per alium idoneum Sacerdotem recipiant, ſub eadem pœna ſi defuerint; quod exactè ſeruandum eſſe in poſterùm pręcipimus.

§. 4. Extremę autem Vnctionis Sacramento adminiſtrato, reminiſcantur Parochi (& Nos eis præſenti Conſtitutione iubemus) ſui officij partes eſſe infirmorum aſſiſtentiam & animę Commendationem; quæ omnia ritè perficient, ſi ex Ritualis Pauli V. frequenti volutatione perdiſcent.

§. 5. Ex eodem autem Rituali pag. 362. intelligent quæ forma poſt mortem ſuorum parochianorum illis ſeruãda ſit, circà peculiarem Defunctorum deſcriptionẽ in ſeparato codice. Quod ſi pręſtitum in eo exemplar quiſquis ſit Sæcularis Regulariſue, potiſſimùm ruralis Parochus aliquandò immutauerit, deſcriptionemue prætermiſerit, aut fidem ex eo petentibus denegauerit, vel contrà veritatem fecerit, ſciat in vices ſingulas daturum ſe pœnas duorum ducatorum locis pijs diſtribuendorum, excepta tamen tertia parte, quæ relatori tradenda erit.

Cap. XI. De Sacramento Ordinis.

LIcèt cuncta Sacramenta ex ſe illum producant effectum gratiæ, ad quem Dominus Ieſus Chriſtus ęternus Sacerdos ea inſtituit: attamen ſi diligentèr conſideramus, cœtera ſic ab Ordine pendent, vt abſque illo partim ſolemni cœre-

monia & Religioſo quodam ritu ac cultu carere videantur.

§. 1. Hinc videmus Sacroſanctum Conciliū Tridentinū Spiritus Sancti lumine illuſtratum ita in huiuſmodi Sacramenti abſolutiſſima diſpoſitione incubuiſſe, vt locorum Ordinarijs pro Concilij obſeruantia tantummodò ſemper fuerit inſiſtendum. Ità Prædeceſſores noſtri Synodis Prouincialibus & Diœceſanis hoc potiſſimùm efficaciſſimè præceperunt. Vndè Nos certiſſimè hoc iter exemplo & more maiorum calcantes, præfato Concilio Tridentino prorsùs inhæremus, Prædeceſſorumq; noſtrorum cunctas Synodales Cōſtitutiones in hoc renouantes, in poſterū ſeruari mandamus.

§. 2. Quoniam verò Patrimonij quantitatem ipſa Tridentina Synodus Epiſcoporum iudicio declarandam reliquit, dummodò ad ordinandorum vitam ſuſtentandam ſatis eſſet: ideò Nos ex regionis & temporum conditione re maturè deliberata, declaramus, mandamus, atque præcipimus, nullum Clericum noſtræ Diœceſis poſſe ad Patrimonij titulum poſthac recipi, niſi tale aſſignauerit quod ad annuum quinquaginta ducatornm redditum aſcendat; & ſi quis Eccleſiaſtici Beneficij titulum, quod integram quinquaginta ducatorum ſummam pro annuo redditu non conficiat, obtinuerit; tanta Patrimonij aſſignatione ſuppleat, vt ſimul iunctis quinquaginta ducatoru m ex eis redditum conſequatur.

§. 3. Clericos fictitia Patrimonia conficientes ſuſpenſioni ipſo facto, laicos omnes in hoc delinquentes Excommunicationi Nobis reſeruatę, & abſque alia declaratione illicò incurrendæ ſubijcimus.

§. 4. Quod Patrimonium vt omni fraude remota certum ac liberum ſit, noſtrę Archiepiſcopalis Curiæ Cancellario diſtrictiſſimè iubemus, vt maxima ſeueritate repellat, ſiue fictitia, ſiue incerta, ſiue minimè tuta Patrimonia conſtituentes. Et ſi aliquando contigerit vt poſt maiorum Ordinum ſuſceptionem fraus vlla detegatur, ſciant delinquentes ſe non modò ſacrorum Canonum & Tridentini Concilij ſpiritualibus & temporalibus pœnis, ſed etiam alijs ſeueriſſimis arbitrio noſtro pro criminum grauitate iniungendis, fore plectendos.

Cap.XII.De Sacramento Matrimonij.

MAtrimoniũ vti Sacramentum à Chriſto Domino ſuæ ſponſæ Eccleſiæ dono datum, quo per eius ſanguinis meritum multiplicationis gratia electo in Fide populo tribuitur, res eſt Sancta ſancteque tractanda.

§.1. Ideò tam laici qui inter ſe contrahere, quàm Parochi qui aſſiſtere illi debent, maximè caueant ne id veluti ſæculare negotium pertractent; ſed gratis adſint, & cuncta quę exactiſſime de hoc Sacramento à Tridentino Concilio, & illi adhærendo à Prędeceſſoribus noſtris & a Nobis ordinata ſunt, obſeruantiſſimè cuſtodiant. Quod vt faciliùs aſſequãtur, Parochis primùm diſtrictiſſimè iubemus, vt cum iſtius Sacramenti celebrationi adſtant, Rituale Pauli V. præ manibus ſemper habeant, antecedentiq; ac frequenti illius ſtudio omnia ſic teneant, vt coniungendos & ſe ipſos ritè poſſint in re tam graui tantoq; myſterio inſtruere.

§.2. Omnes itaquè tam Ciuitatis quàm rurales Parochi, ad eiuſdem Ritualis normam perficiendam, quàm maximè curent, vt in Eccleſia cuncta Matrimonia celebrentur, non in domibus; quod ſi aliqua neceſſitate vrgente contigerit vt aliquandò in domo celebrentur, tunc Parochorum conſcientias grauitèr onerantes monemus, ne id abſquè noſtra vel Vicarij noſtri licentia faciant, ſed eam omninò priùs procurent.

§.3. Nunquàm tamen Parochi, niſi conſanguinei ſponſorum ſint, ſub aliquo quouis prætextu, huiuſmodi nuptiarum celebrandarum conuiuijs, & alijs quæ vulgò dicuntur *Le ſcappenate*, interſint; quod ſi ſecùs fecerint, pœnis arbitrarijs & pecuniarijs ſubiaceant.

§.4. Deindè ſub duorum per ſingulas vices ducatorum pœna, quorum duæ partes pijs locis, tertia relatori obueniat, ijſdem Parochis præcipimus, vt in peculiari libro celebrati Matrimonij tempus, contrahentium nomina, cœteraq; ad eiuſdem Ritualis pag. 367. normam deſcribant. quem librũ cum alijs ſuorum Prędeceſſorum idem continentibus ad publicam vtilitatem diligentiſſimè ſeruent, & ex ijſdem atteſta-

tiones legitimè petentibus gratis omni fraude remota in ſcripto ſub eadem pœna ne denegent.

§. 5. Quidquid autem in Synodo Anni 1637. tit. 14. circa aduenarum Matrimonia ex Eminentiſſimi Cardinalis Barberini literis Vrbani VIII. iuſſu Nobis datis 30 Auguſti 1636. ſtatutum eſt, denuò maxima efficacitate iubemus. Et potiſſimùm ne Parochi publicationes Matrimoniorum cum exteris contrahendorum in ſuis Eccleſijs faciant, niſi prius data Nobis vel noſtro generali Vicario notitia, fidem authenticā cum publicandi facultate reportauerint.

In quo ſi contigerit vt à quouis Parochorum delinquatur, arbitraria grauiq; punitione experientur quantùm Nobis hoc negotium cordi ſit.

Cap.XIII.De Sacramentalibus, & ibi de Exorciſmis.

SAcramentis vti nomine proxima, ſic ordine & participatione ſuccedunt Sacramentalia; Ritus ſcilicèt quibus sūma religione (quæ externa Fidei nutrix eſt) ſub Anathematis pœna per Concilium Tridentinum Canonizata, non contemnendis nec immutandis, Sancta Mater Eccleſia eadem Sacramenta primò, poſtmodùm cæteras Sacras actiones aluit & cuſtodiuit.

§. 1. Nos igitùr eidem Concilio inhærentes, Prædeceſſorumq; noſtrorum pijſſimas Conſtitutiones renouantes, damnamus & anathematizamus eos omnes, qui contrà Ritualia, Cœremonialia, Rubricas, & Pontificalia Romanorum Antiſtitum iuſſu edita, temerè & ex contemptu eos omittere, vel nouis & à S. Sede Apoſtolica rite non approbatis, in tota Diœceſi noſtra vti præſumpſerit, quibuſcumq; conſuetudinibus & præſcriptionibus non obſtantibus.

§. 2. Et quoniam inter alios Ritus, qui magno vſui in eadem Eccleſia ſunt, reuerendum ſemper fuit exorcizandi miniſterium, quo in nomine Domini ab obſeſſis Dæmonia eijciuntur: ideò Nos maximè cupientes in ſuo honoris gradu ſeruari, quod à Chriſto Domino intèr admirabilia ſuę miſſionis ſigna Apoſtolis cęteriſq; credentibus promiſſum fuit; reuo-

reuocamus, caſſamus, & deincèps nullas eſſe declaramus quaſcumque licentias tam à Prędeceſſoribus noſtris quam à Nobis ſiue ſæcularibus Clericis ſiue Regularibus quibuſcũque vſque hodie conceſſas. Et ipſis alijſq; omnibus quiqui ſint, ſub excommunicationis, carceris, alijſq; arbitrarijs pœnis omninò vetamus, ne vllo pacto exorcizare priùs audeant, niſi diligenti morum & ſcientiæ examine pręcedenti legitimam iuriſdictionem per nouam in ſcriptis à Nobis licẽtiam fuerint adepti; ijs autèm qui huiuſmodi facultatem obtinuerint, ſub pœna non ſolùm ſuſpenſionis ab Exorciſmo, ſed etiam à Diuinis enixè præcipimus, ne nouas imprecationes & exorcizandi formas contrà dœmones, præter à Rituali Romano Pauli V. ſanctiſſimè datas excogitent, ſed omnia ritè ex eoq; cuncta ſemper legendo diuinæ bonitati fidentes exequantur.

Cap.XIV. De Diuinis Officijs & Proceſſionibus.

NOn ſolùm autem ad augendam Religionis obſeruantiam circa Sacramenta certi Ritus à Romanis Pontificibus traditi ſunt, verũ etiam in Diuinis Officijs, quibus preces laudeſq; Deo primùm & ad eius gloriam, poſtmodùm in Sanctorum honorem funduntur.

§. 1. Itaque Nos ſummoperè optantes vt quod à Prædeceſſoribus noſtris, Sanctę Apoſtolicæ Sedis iuſſionibus inhærendo, de re tam graui ſtatutum fuit, per vniuerſam Diœceſim noſtram exactiſſimè in futurùm ſeruetur; primo loco ſub ijſdem pœnis renouantes omnia quæ de hoc in tranſactis Synodis ordinata ſunt, ſub generali hac diſpoſitione, veluti ſi cuncta ex eis de verbo ad verbum hic eſſent exarata, denuò præcipimus. Omnes in Domino paterno affectu etiam atque etiam admonentes, vt dum hymnis & canticis dulciſſimus in Eccleſia diuinis auribus pſallentium linguarum reſonat ſonus, cor longè non ſit à Deo, ſed vna ſit fides mentium & pietas actionum, quibus & laicorum cætus Religionis exemplo confirmetur in fide, & iniunctum Eccleſiaſtico Ordini in Diuinis Officijs attentionis debitum perſoluatur.

§.2. Se-

§. 2. Secundo loco vt Decretum ſacræ Rituum Congregationis Die 8. Aprilis 1628 non ſolum appobante, ſed laudante Vrbano VIII. S.P. emanatum, frequenti recordatione exactiùs ſeruetur, hoc loci tranſcribi iuſſimus, quod eſt huiuſmodi.

Decretum Sacræ Congregationis Rituum vbiquè ſeruandum.

SAcra Rituum Congregatio ad tollendos abuſus qui varijs in locis irrepſerunt, re mature diſcuſſa cenſuit & decreuit. Primò non potuiſſe nec poſſe locorum Ordinarios tam Sæculares quàm Regulares addere Calendarijs etiam proprijs Sāctorum Officia, niſi ea dumtaxàt quę in Breuiarij Romani Rubricis vel Sacræ Rituum Congregationis ſeù Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur.

Inſuper vetuit & prohibuit celebrari per totam Ciuitatem vel Diœceſim etiam de cuiuſcumque Ordinarij auctoritate Miſſam vel Feſtum cum Officio de Sancto, eo quod in loco adſit Eccleſia Parochialis vel Regularis, aut aliqua Reliquia, ſed tantùm in ipſius Sancti Eccleſia titulari, ſeù vbi aſſeruatur inſignis Reliquia, & non alibi; inſignes autem Reliquias declarauit eſſe Corpus, Caput, Brachium, Crus, aut illam partem corporis, in qua paſſus eſt Martyr, modò ſit integra & non parua, & legitime ab Ordinarijs approbata.

Miſſas itèm, quæ circumferuntur, à Sacra Congregatione non approbatas, S. Gregorij, pro viuis & Defunctis, quindecim auxiliatorum, & de Patre æterno, & quaſcumq; aliàs exceptis ijs quę ſunt permiſſę Regularibus tantùm, veluti Roſarij, Sanctę Mariæ de Carmelo & alias, ſicut etiam officia ab eadem non approbata, prohibuit, reiecit omninò, & damnauit reſpectiuè, & pro prohibitis, reiectis, & damnatis haberi voluit. quæ omnia decreuit, ſtatuit, & mandauit ſub pœnis contentis in Bullis Pij V. initio Breuiarij & Miſſalis poſitis, quod ſcilicèt non ſatisfaciant muneri recitandi Diuini Officij. Abutentes verò ſupradictis Miſſis ſubiaceant alijs pœnis contentis in indice librorum prohibitorum ex Decreto Sacri Concilij Tridentini edito. Et ne præmiſſorum ignorantia

vllo

vllo vnquàm tẽpore poſſit ab aliquo prætendi, neque obliuio poſſit irrepere, eadem Sacra Congregatio voluit & mandauit Decreta huiuſmodi affigi in Sacriſtijs omnium Eccleſiarum tam Sæcularium quàm Regularium etiam Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum & aliarum quarumcumque, & in eis perpetuò affixa aſſeruari.

Facta demùm relatione omnium Decretorum Sãctiſſimo Domino noſtro Vrbano Papæ VIII. idem Sanctiſſimus ea laudauit, approbauit, atque ab omnibus vbique ſub prædictis pœnis ſeruari præcepit. In quorum fidem manu & ſigillo Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi D. Cardinalis Deti Decretum illud ſignatum & munitum fuit die 8. Aprilis 1628.

Io. Baptiſta Cardinalis Detus. *Loco † ſigilli*

Fr. Fuluius Benignus Secret.

Cui Decreto Prædeceſſores noſtri & populorum deuotioni ſatisfacere cupientes, de Anno 1630. à Sacra Rituum Congregatione facultatem obtinuerunt vt infrà.

Pro Eccleſia Florentina.

De SS. Epiſcopis Florentiæ Zenobio, Podio, Andrea, Antonino fiat officium duplex in Ciuitate & Diœceſi.

De S. Miniate Martyre Florẽtiæ duplex etiam in Diœceſi.

De SS. Ciuibus Florentinis, Bernardo, Andrea Corſino, Io: Gualberto, Philippo Nerio, Eugenio, & Creſcentio, duplex in Ciuitate tantùm.

De Beatis Ciuibus Philippo Benitio, & Magdalena Pazia fiat officium iuxtà Diplomata Pontificia de ijſdem data.

De S. Romulo primo Tuſcię Prędicatore Euangelij duplex etiam in Diœceſi.

De S. Reparata Titulari Eccleſię Cathedralis fiat officium duplex in Ciuitate tantùm, & in Cathedrali cum octaua.

Loco † ſigilli

Fr. Fuluius Benignus Secret.

§. 3. Et vt in recitatione Diuinorum Officiorum ex Summi Pontificis & Sacræ Congregationis iuſſu ritè omnia perficerentur, ijdem Prædeceſſores noſtri quotannis iuridico & laudabili inſtituto per electam ab eis perſonam Calendarium ediderunt. Quod Nos etiam in futurum ſummo iure ſeruari volentes, ſub grauibus pœnis arbitrio noſtro iniungendis expreſsè vetamus, ne quis in tota noſtra Diœceſi audeat Calendaria quæcumque componere, niſi is, cui id à Nobis expreſſè fuerit commiſſum.

§ 4. Litaniæ maiores ſi incidant in diem Paſchatis, transferantur in feriam tertiam ſequentem.

§. 5. Prętèr Litanias Breuiarij Romani, & Beatæ Virginis Lauretanæ Aedis, omnes aliæ à Clemente VIII. anno 1601. prohibentur: vndè qui alias ediderint vel publicè recitauerint, aut Sanctorum nomina etiam Patronorum locorum eis ſuperaddent, iuxtà facultatem Nobis à Summo Pontifice datam ex Decreto Sacræ Congregationis 22. Martij 1631 pœnas arbitrarias dabunt.

§. 6. In omnibus noſtrę Diœceſis Eccleſijs etiam Regularium & Monialium, iuxtà vniuerſalem conſuetudinem & diſpoſitionem Canonis in cap. ſolent, de Conſecrat. diſtinct. 1. omnibus diebus Quadrageſimæ, in quibus ieiunatur, à primo Sabbato incluſiuè antè Dominicam primam eiuſdem Quadrageſimę, vſquè ad Sabbatum Sāctum paritèr incluſiuè (niſi peculiari Pontificioq; indulto contrarium permittente fiat) Veſperæ antè prandium in choro ſemper recitentur, non obſtante &c.

§. 7. Altera huius capitis ad Diuina officia ſpectantis pars, de Proceſſionibus inſcripta eſt; in qua primo decernimus vt in expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti, & in Sacris Sepulcris maioris hebdomadæ tam in initio quàm in fine nūquam extrà ambitum Eccleſię Proceſſio fiat, vt ſuprà etiam in tit. de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento ſtatuitur.

§. 8. Proceſſio autem eiuſdem Sanctiſſimi Sacramenti in ipſa die ſolemnītatis Corporis Chriſti extrà Ciuitatem à nemine licèt Regulari non obſtantibus quibuſcumque Priuilegijs prętèr Apoſtolicis, & immemorabili conſuetudine, niſi

ab

ab Eccleſijs Plebium fieri non debet; & tunc Parochi vniuſcuiuſque Plebaniæ omnes ad ſuam Plebem accedant habitu Eccleſiaſtico in ſimilibus functionibus neceſſario induti ſub pœnis arbitrarijs à Nobis iuxta defectus qualitatem declarandis; dummodò tamen Miſſæ Sacrificium in propria Eccleſia ab vnoquoque Parocho per ſe vel per alium eo die celebretur. Reliquæ verò Parochiales Eccleſiæ, & alię, in quibus ex cõſuetudine huiuſmodi Proceſſio fieri ſolet, altera die ipſius Octauæ ad libitum eam celebrare poſſint.

§.9. Societates verò laicorum omnes cuiuſuis Plebanatus debent huiuſmodi Proceſſioni in die Corporis Chriſti à Plebibus faciendę proprijs ſocietatis veſtibus indutę intereſſe in propria Plebe, ſtataq; hora à Plebano Dominica antecedenti indicta, ſub pœnis arbitrarijs. Quod etiam à Prędeceſſoribus noſtris ſtatutũ fuit, præcipuè in Synodo Anni 1623. hoc tit. ſeruato tamen ſemper debito pręcedentiarum ordine iuxtà id quod vel inter ſe conuenerint, vel anteà iuridicè firmatum fuerat.

§.10. In Proceſſionibus publicis potiſſimum Sanctiſſimi Sacramenti etiam in Ciuitate nullo modo (licèt ſub habitu aut ſignificatione Sanctorum) puellę circumducantur, vt in Synodo Diœceſana 1589. de Proceſſionibus firmatur, exceptis in Proceſſione Sancti Ioannis conſuetis piorum locorum puellis, proprio tamen habitu indutis; neque in dictis Proceſſionibus aliquid fieri debet à quibuſuis Regularibus & Societatibus laicorum, etiam Doctrinæ Chriſtianæ, vel ab alijs quibuſcumquę Eccleſiaſticis aut laicis, quod repræſentationem etiam Sacrarum rerum præſeferat.

§.11. Inſuper declarando Conſtitutionem Synodi Anni 1637. de celebratione feſtorum tit.11. verſ. vt ſupplicationes &c. eiq; inhęrendo iubemus. vt ſupplicationes & Proceſſiones dierum feſti Sancti Marci & Rogationum accedendo ad Eccleſiam Plebis in illis tantũ Plebanatibus in poſterũ fiant, in quibus antè huiuſmodi Conſtitutionem Anni 1637. erat immemorabilis conſuetudo ad Plebem accedendi; in alijs verò ſeruato more vniuſcuiuſque regionis; liceat etiam vniciuiq; Parocho illis diebus per circuitũ ſuę Parochię aut ſtatis

priùs aut de nouo ſtatuendis locis Proceſſiones iſtas & ſupplicationes celebrare, dummodò nullæ benedictiones & preces in eis adhibendæ prętermittantur.

§. 12. Priores & Rectores ciuitatis, qui Miſſis, Veſperis, Proceſſionibus, vel alijs functionibus ſacris, in Metropolitana Eccleſia intereſſe aliquibus certis diebus per annū tenentur, quando ſuam vicem alteri committunt, idoneis ſemper ad omnes Eccleſiaſticas functiones ritè obeundas decētibuſq; tam clericalibus quā ſacris veſtibus indutis Sacerdotibus tantùm, & nullo modo clericis inferioribus, licèt ad ſacros Ordines Subdiaconatus vel Diaconatus promotis, hoc munus tradant. Et potiſſimum prohibemus ne deinceps Clerici Sacerdotibus inferiores, vt ſupra publicè & ſolemniter in quacumque Proceſſione ſacras geſtēt Sāctorum Reliquias; quod ſi id facere attentauerint, tam ipſi Clerici quam ij, qui eos ad geſtādum miſerint vel admiſerint, quicumque illi ſint, ſciant ſe a Nobis ſeuerè fore plectendos. Volumus etiam & præcipimus, vt dicti Priores & Rectores vel Sacerdotes, qui ab eis fuerint miſſi, proceſſionaliter cum alijs ſemper & ſuo loco ab Eccleſia, a qua Proceſſio incipit, diſcedant, & ad eandem eodē modo ſemper redeant; quod maximè omninò ſeruent, ea modeſtia & grauitate qua decet, cū ſacris veſtibus induti ſint, ij qui ad geſtandas reliquias ſunt deſtinati; nec dictis ſacris veſtibus vllo modo alio in loco quam in vna ex ſacriſtijs dictæ Eccleſiæ induantur vel exuantur. Proceſſioni vèro dici Sacratiſſimi Corporis Chriſti perſonaliter & per ſe ipſos omnes ſupradicti Priores & Rectores accedant, niſi infirmitate aut alia neceſſaria ſimili, & manifeſta cauſa impediti fuerint. Priores tamen & Rectores illarum Eccleſiarum quæ ad Regulares peruenerunt, & dictæ etiam Proceſſioni intereſſe tenentur, poſſint mittere alium ſed Sacerdotem, qui eos repreſentet. Choriſtę autèm eiuſdem Metropolitanę diſtrictè prędipimus, vt ea quæ (non obſtante quacunq; conſuetudine in contrarium, etiam immemorabili) ſeruari inuiolabiliter volumus & decernimus in hac cōſtitutione, diligentiſſimè curet quantum ad ipſum ſpectat vt executioni mandentur, non admittendo ſcilicet Clericos non Sacerdotes & contra facientes

in aliquo ex prædictis pro qualibet vice punctãdo conſuetæq; pœnæ ſubijciendo, & ſi fuerit negligens vel indulgens ad mittendo friuolas excuſationes, ipſemet pœna vnius ducati aurei locis pijs applicandi, vel alia arbitraria a Nobis vel à Vicario noſtro omninò punietur. Hanc autem Conſtitutionẽ ligare volumus ab hac ipſa publicationis die, non obſtante quod aliter de cęteris ſupra declaratum ſit.

§. 12. Vexillum quod vulgò dicitur Stendardo, quando in Proceſſionibus illud Plebis comparere debet erectum, vel quandò ad Plebem eundum eſt, nunquàm ab alijs eiuſdem Plebanatus Eccleſijs vel Laicorum Confraternitatibus erigatur, exceptis ijs quibus ſpeciali Priuilegio in huiuſmodi actibus eſt permiſſum, ſub pœna pecuniaria arbitrio noſtro declaranda.

Cap. XV. De Veneratione & Reliquijs Sanctorum, Sacris Imaginibus, & Miraculis.

§. 1. HI Ritus quibus Sancta Mater Eccleſia Sanctorum memoriã, Reliquias, Imagines, & Miracula veneratur, ſicut religionẽ, ſic conſequenter fidẽ mirum inmodum augent, cum per huiuſmodi exemplorum imitationem (quæ frequenti recordatione facilior nobis redditur) vitam Iuſtorum quæ ex fide prouenit, adepturi ſimus. Propterea Concilium Tridentinũ ſuggerente Spiritu Sancto vniuerſis Chriſti fidelibus exhibuit ſalutare Decretum, in quo omnia quę ad rem iſtam pertinent ſtatuuntur. Cui Nos inhærere maximè cupientes renouando Conſtitutiones Prouincialis Synodi Anni 1573. & Diœceſanæ 1619. tit. 1. cap. 5 per quinque §§. & cap. 6. de miraculis §. vnic ita eas in futurum tam ab Eccleſiaſticis Sæcularibus & Regularibus, quàm à Laicis ſeruari mandamus, vt ſi quid minimum, quod in eo decernitur, antiquatum eſſet, perenniter reuiuiſcat non vi præſentis noſtræ iuſſionis ſolummodò, ſed ipſius Tridentini Concilij, ex quo omnia deſumpta ſunt, anathematis pœnam in trãſgreſſores ex eiuſdem Concilij auctoritate fulminantes pręter arbitrarias caſtigationes ob delicti grauitatem imponendas.

§. 2. Prętereà vt abuſus omnes exterminentur, cunctis in memoriã reuocamus Decretum Vrbani VIII. Summi Pontificis 13. Martij 1625. quo abſque Sanctę Sedis Apoſtolicę approbatione prohibetur, ne Imagines non ritè Beatificatorũ vel Canonizatorum, licèt cum fama ſanctitatis aut Martyrij demortuorum, in Oratorijs & Eccleſijs publicis priuatiſue tam Sęcularium quàm Regularium quorumcumque, cum laureolis, aut radijs, aut ſplendoribus proponantur, iubeturq; vt appoſitæ remoueantur. Libri eorum geſta, miracula, reuelationes, beneficia continentes ſine recognitione Ordinarij Sanctęq; Sedis approbatione ne imprimantur. Ad eorum ſepulcra tabellę & imagines cuiuſcumque materiei quoquo modo confictæ ne appendantur. Lampades & lumina ne accendantur, niſi ab Ordinario omnia ſint recognita & à Sãcta Sede approbata; cum declaratione quoad hanc vltimam partem tabellarum & imaginum ſub 30. Octobris eiuſdem Anni 1625. eas poſſe à Præpoſitis locorum accipi & offerri à religioſis perſonis, approbantibus tamen Ordinarijs, ad quos referre ſtatim omnia teneantur; in ſecreto autèm aliquo ſeorsũ ab Eccleſia loco cuſtodiri, ibidemque iam amotas collocari & aſſeruari; vt ſi quandò Dominus talium virorum merita beatificationis ſeu canonizationis honore in terris decorare voluerit, extent huiuſmodi Sanctitatis qualeſcumq; approbationes Apoſtolicę Sedis iudicio tunc examinandæ Non tamèn hac Conſtitutione, vt idem Summus Pontifex declarat, pręiudicare aliquo modo intendit ijs, qui aut per cõmunem Eccleſię conſenſum, aut immemorabilem temporis curſum, aut Patrum virorumq; Sanctorum ſcripta, aut longiſſimi temporis ſcientiam ac tolerantiam Sedis Apoſtolicę vel Ordinarij coluntur.

§. 3. Inſuper vt noſtri muneris partes & ab eodem Summo Pontifice Vrbano VIII in Bulla 15. Martij 1642. iniunctum ſpecialiter onus perfectè exequamur, eamdem Bullam circà formam & habitum Sacrarum Imaginum in hoc publico Synodaliq; conſeſſu recitari, & in Synodo deſcribi voluimus, vt inobedientiũ lamentationi occaſio propter ignorantiæ vel alterius excuſationis cauſam tollatur, ſi quando ad

pœnarum impoſitionem, quod ſeuere poſthac exequemur, deueniendum foret.

VRBANVS PAPA VIII.

SAcroſancta Tridentina Synodus optimè agnoſcens non leue ſcandalum afferre poſſe, ſi quid inordinatum aut prępoſterè accommodatum vel profanum in Eccleſijs appareat: ſtatuit nemini licere vllo in loco vel Eccleſia, etiã quomodolibet exempta, vllam inſolitam Imaginem ponere vel ponendam curare, niſi ab Epiſcopo approbata fuerit. Cum autem, ſicut accepimus, ex prędicti Decreti inobſeruantia varij abuſus irrepſerint: iccircò Nos abuſus huiuſmodi tollere pro debito Paſtoralis officij noſtri volentes, re etiam cũ venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, ſacris Ritibus præpoſitis, communicata & maturè conſiderata & diſcuſſa, inhęrendo dictę diſpoſitioni Sacroſanctę Tridentinę Synodi, Motu proprio & ex certa ſcientia noſtris deq; Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ne quis cuiuſcumque gradus, qualitatis, ordinis, ſtatus, vel conditionis, ac dignitatis & pręeminentię etiam Eccleſiaſticæ, etiam indiuidua ac ſpeciali expreſſione dignæ exiſtat, Imagines Domini noſtri Ieſu Chriſti & Deiparæ Virginis Mariæ, ac Angelorum, Apoſtolorum, Euangeliſtarum, aliorumque Sanctorum & Sanctarum quarumcũque ſculpere aut pingere vel ſculpi aut pingi facere, aut ante hac ſculptas aut pictas & aliàs quomodolibet effictas tenere, ſeu publico aſpectui ponere, aut veſtire cum alio habitu & forma quam in Catholica & Apoſtolica Eccleſia ab antiquo tempore conſueuit, nec etiam cum habitu peculiari alicuius Ordinis Regularis, tenore præſentium prohibemus: ac vt Imagines aliter pictę vel ſculptæ ab Eccleſijs & alijs locis quibuslibet amoueantur & deleantur, vel reducantur & reformentur ad habitum & formam in Eccleſia Catholica & Apoſtolica ab antiquo tempore conſuetam, vt veneratio & cultus ſic dictis Imaginibus augeatur, & quæ oculis fidelium ſubijciuntur, non inordinata nec inſolita appareant; ſed deuotionem pariant & pietatem. Et, ne exponan-

tur

tur in Eccleſijs quibuslibet ac quomodolibet qualificatis, ac earum frontiſpicijs & atrijs Imagines profanę vel alias indecentiam & inhoneſtatem pręſeferentes, cum Domum Dei deceat ſanctitudo, præcipimus. Quò circa quibuſcumque venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs locorum Ordinarijs, ac noſtris & Apoſtolicæ Sedis Nuncijs & Legatis etiam de Latere, ſub obteſtatione diuini Iudicij mandamus, vt prædicta inuiolabiliter & exactè obſeruent. Mandantes inſuper omnibus Capitulis Eccleſiarum etiam Cathedralium & maiorum, ac Vniuerſitatibus etiā ſtudiorū, Monaſterijs ac Collegijs & perſonis quibuſcumq; etiā Eccleſiaſticis, Sæcularibus & Regularibus cuiuſcūq; Ordinis Ciſtercieñ Inſtituti, Cōgregationis & Societatis etiam Ieſu, etiam Militaribus, etiam Hoſpitalis S. Ioannis Hieroſolymitani aliarumq; Militiarū, & cęteris quibuſcumque quomodolibet qualificatis, ac eadem indiuidua expreſſione & ſpeciali nota dignis ac Monialibus etiam Regularium gubernio ſubiectis, ac etiam Sedi Apoſtolicæ immediatè ſuppoſitis, vt in eorum Eccleſijs & locis omnia & ſingula præmiſſa obſeruent, & obſeruari faciant. Quatenùs verò ipſi pręſertim Regulares ac Moniales præſentibus literis ac omnibus in eis contentis parere neglexerint, poſſint & debeant Epiſcopi & locorum Ordinarij, Metropolitani, Primates, Patriarchæ, Nuncij & Legati Apoſtolici de Latere miſſi, tanquàm in hoc à Sede Apoſtolica ſpecialiter delegati, cōtra omnes & ſingulos prædictos & quoſcumque alios quomodolibet inobedientes & tranſgreſſores procedere, & quacumque appellatione, recurſu, reclamatione, alijſq; iuris & facti remedijs ordinarijs & extraordinarijs penitus & omninò remotis, ad omnimodam obſeruantiam illos pręuia vnica monitione Cenſuris Eccleſiaſticis & alijs eorum arbitrio, & præſertim quoad loci Superiores etiam priuationis officij, & vocis actiuę & paſſiuæ pœnis compellere; præſentes quoque literas & in eis contenta quæcumque nullo vnquam tempore de ſubreptionis, obreptionis aut nullitatis, vitio, ſeu intentionis noſtræ vel quocumque alio etiam quantumuis ſubſtantiali defectu notari, impugnari vel redargui

poſſe,

poſſe, ſed illas ſemper validas, firmas; & efficaces exiſtere & fore, ſuoſq; plenarios effectus ſortiri & obtinere, & ab omnibus ad quos ſpectat & ſpectabit in futurum inuiolabiliter obſeruari, ſicq; & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Iudices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos nunc & pro tempore exiſtentes, ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi ſeu interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & diffiniri debere, ac irritum & inane, ſi secùs ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obſtantibus fel. recor. Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de vna & Concilij Generalis de duabus dietis, alijſque Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis in fauorem etiā perſonarum atque Ordinum quorumcūque etiam Ciſtercieñ, ac tam Mēdicantium quam non Mendicantium, Militiarum etiam S. Ioannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum Ieſu, ac cuiuſuis alterius Inſtituti, etiam neceſſariò & indiuiduè exprimeñ. Monaſteriorum, Conuentuum, Capitulorum, Eccleſiarum, & aliorum quorumcumque tam Sæcularium quam Regularium locorum, necnon illorū etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quauis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus; exemptionibus quoque, indultis & priuilegijs etiam in corpore iuris clauſis, aut ex cauſa & titulo oneroſo, vel in limine fundationis conceſſis, etiam mari magno, ſeu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, Conſeruatorum deputationibus, eorumq; atque alijs inhibitionibus, quibus Epiſcopi & alij Ordinarij & ſuperiores prædicti deferre minimè teneantur, & quibuſuis alijs ſub quibuſcumque teñ & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarū derogatorijs, alijſq; efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus Decretis, etiam motu proprio & ex certa ſcientia ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut alias quomodolibet etiam per viam communicationis ſeu extenſionis, conceſſis & iteratis vicibus approbatis & innouatis. Quibus omnibus & ſingulis etiam ſi pro illorū ſufficienti derogatione de illis eorumq; totis tenoribus

ſpe-

ſpecialis, ſpecifica & expreſſa, ac de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quęuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum tenores pręſentibus pro ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis hab. ñ, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque. Et ne pręmiſſorum ignorantia poſſit ab aliquo prætendi, volumus & Apoſtolica auctoritate decernimus, vt præſentes literæ ſeu illarum exemplum ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum Vrbis, ac in acie Campi Florę affixæ, omnes perindè arctent atque afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimatę fuiſſent, quodq; præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę vel oſtenſæ.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub Anulo Piſcatoris die XV. Martij M.DC.XXXXII. Pontificatus Noſtri Anno Decimo nono.

M. A. Maraldus.

§. 5. Illud autem abſque iuſſionis renouatione prętermittendum eſſe non iudicauimus, quod in Prouinciali Concilio Florentino ſub Iulio Medici, poſtmodùm Summo Pontifice Clemente VII. rubr. 4 de glorioſo Deo eiuſq; Sanctis verbo & opere honorandis cap. 3. decretum fuit ibi.

Quia facto ęque ac verbis Diuinam lædimus Maieſtatem, & quæ in Imaginem fiunt, in eum quem Imago refert facta eſſe dicuntur: ordinamus ne quiſquam Cruces aut alicuius Sancti ſigna in locis immundis, vel ſilicibus aut pauimentis, quæ hominum aut animalium pedibus teruntur, ſub pœna ducatorum decem auri, Dominis Octo pauperibuſq; Chriſti applicandorum ſi laici, alias in pauperũ vſum ſi Clerici ſint, pingere aut ſculpere audeant.

Quam Conſtitutionem Nos omninò renouantes, approbantes, & confirmantes; non modo iubemus ne in poſterum in locis præcipuè immundis aut humi depingãtur, ſculpãtur, vel

vel affigantur Cruces & Sanctorum ſigna, ſed depicta, ſculpta vel affixa quam primùm deleantur vel auferantur, decenti tamen ratione ſeruata.

Cap XVI. De Rebus Eccleſiæ.

QVamuis primo intuitu hę Conſtitutiones temporalium rerum materiam cōtinentes, Fidem reſpicere non videantur: attamen ſiquis Religionis oculos in eas figat, pleniſſimè intelliget, Sacroſanctum Concilium Tridentinum Romanorumq; Pontificum iuſſiones quibus omninò inhæremus, Florentinas Prouinciales Diœceſan ſq; Synodos quas renouamus, optimas conſuetudines quibus ſcripta lege robur addere ſtatuimus: in bonorum & rerum Eccleſiaſticarum alienationis prohibitione, in recuperatione, & conſeruatione, in fructuum acquiſitione, diuiſioneq; nil aliud quàm fidei Catholicę tutelam cordi habuiſſe; cum experimento cognouiſſent eam illos eodem tempore depreſſiſſe, qui Eccleſias, & earum bona ſacrilegè diripuiſſent: peccant enim hi in iuſtitiam quę ex fide eſt, Deo quæ Dei ſunt vel auferentes, vel non reddentes, aut per auaritiam idolorum ſeruitutem à veri Dei adoratione deficientes; hinc ſeparati per mortem ab Eccleſiæ gremio pari infidelium pœna puniuntur. Sic Baltaſſari Regi vinum bibenti ex aureis Hieroſolymi Templi ablatis vaſis, & falſos ſimul deos laudanti mortem eadem nocte Daniel à Deo imminere interpretatus eſt. Sic Illuſtris Antiochus, impijſſimus ille eiuſdem Templi ſpoliator, cognouit quia propterea inuenerunt eum mala illa quibus perijt triſtitia magna in terra aliena. Sic Ananias, & Saphira, eos Beato Petro Apoſtolo increpante, cum Spiritui Sancto fidem haud ſeruaſſent, repentina morte correpti ſunt.

§ 1. Quapropter Nos Omnipotentis Dei, & Sanctæ Sedis Apoſtolicę gratia in hac Archiepiſcopali Sede conſtituti, vt Eccleſiaſticam libertatem & domum Dei acerrimo zelo defendamus, ſummas Diuinæ bonitati gratias agimus, & vniuerſo Religioſiſſimo Clero & pijſſimo noſtrę Diœceſis populo ſummoperè gratulamur, hanc ſupra cæteras Chriſtiani

orbis plagas, ſacrorum ædificiorum piorumq; locorũ maieſtate opulentia, numeroq; iure optimo gloriari poſſe nedũ non auferri ab Eccleſia, ſed profuſiſſimè dono dari prætioſa quæque. Pro iniuncti tamen Nobis miniſterij conſummatione omnes dilectiſſimos filios in Domino commonemus, vt tot præclaris maiorum exemplis non ſolùm timore pœnarum, quas in hac noſtra Conſtitutione veluti ſi peculiari numeratione eſſent poſitę, renouamus; ſed virtutis amore & ad maiorem Dei gloriam Sacrorum Canonum, Conciliorum, Pontificũ, & Synodorũ legibus obſeruantiſſimè morē gerant.

§ 2. Illud autem pręcipua prohibitione credidimus renouandum eſſe quod in Synodo anni 1623. aliqua in parte vetitum fuit; ne ſcilicèt ſacra ſupellex cuiuſcumq; ſpeciei ſit, neue Ieſu Chriſti, Beatæ Mariæ ſemper Virginis, Sanctorum imagines, & reliquiæ, vllo pacto, tempore, pretio, conditioneq; Hebræis vendantur, oppignorentur cōmodentur, mutuentur, permutentur, vel alio quouis titulo alienentur, tradāturue: neue Hebræi pari modo recipiant ſub pœnis iuxtà qualitatem perſonarum reſpectiuè, excomunicationis ſi laici Chriſtiani; ſuſpenſionis ſi Eccleſiaſtici; prętereà rerum amiſſionis, & in duplum condemnationis pro quolibet trāſgreſſionis actu.

§. 3. Item Sacerdotibus omnibus beneficium obtinentibus, ſub peccati mortalis, ſuſpenſionis, Sacrorumq; Canonũ Cenſurarum, & alijs arbitrarijs coercitionibus expreſsè interdicimus ne ſub quouis prętextu propriarum Eccleſiarum Sacram ſupellectilem alienent, ſed eam iuxtà inuentarium ſaluem conſeruent, nouamq; deſcribant. Quod ſi aliquandò contigerit, vt vetuſtis rebus in aliarum renouatione vtantur, hoc illis permittitur, dummodò id quod inutile eſt comburatur potiùs quam alienetur. Hortamur autem cunctas Eccleſiaſticas perſonas earumq; hæredes, vt quādo priuato vſui non Eccleſijs deſtinatam ſupellectilem Sacram habeant, in eius alienatione omni cautione ſe gerant huic Edicto quo ad fieri poterit obtemperantes. Si enim indecens eſt Clericos arma tractare, quanto magis irrationabile laicos Sacram ſupellectilem pro libito poſſidere? Vnde à Prędeceſſoribus

noſtris

noſtris ritè vetitũ legimus, quod & Nos ſub arbitrarijs pœnis prohibemus, ne eadem Sacra ſupellex in domibus ruſticorũ à Sacerdotibus relinquatur ab ijſdem ruſticis liberè cuſtodiẽda, ne potiſſimum vltra cætera ſcandalorum pericula vel indecenter ſeruetur, vel (quod omninò vbiquè in noſtra Diœceſi ſub pecuniarijs ex noſtra declaratione caſtigationibus interdicimus) ad profanum vſum quomodolibet transferatur.

§ 4. Et quoniam in Synodo Anni 1619. tit. 6. cap. 3. §. 4. breuiter ita ſtatutum fuit

Nullus in poſterum audeat quercus, vlmos, & ſimiles arbores non cæduas vel frugiferas ſolo ſui Eccleſiaſtici beneficij hęrentes abſq; licentia Ordinarij cædere aut euellere, niſi eiuſdem arbitrij pœnas ſubire velit:

Nos maximè in re tanti momẽti renouare huiuſmodi Cõſtitutionis obſeruantiam cupientes, vt clarè ordinateque ſublatis omnibus ambiguitatibus procedatur, infraſcriptum Decretũ Florentino ſermone edendum eſſe arbitrati fuimus.

NOI Piero Niccolini per la grazia d'Iddio, e della Santa Sede Apoſtolica Arciueſcouo Fiorentino, per leuare ogni cauſa di querele à ſucceſſori ne' benefizi Eccleſiaſtici, e à Predeceſſori torre ogni occaſione di diſertare, e ſpogliare i beni delle lor Chieſe, rinouãdo il Decreto Sinodale del 1619. determiniamo, ordiniamo, e comandiamo che niuno benefiziato poſſa tagliare ò ſueglière per man ſua ò d'altri di ſuo ordine dal terreno della ſua Chieſa legname fruttifero, ò che poſſa creſcere à frutto, ò non ſolito à tagliarſi, ſenza eſpreſſa licenza da ottenerſi per ciaſcheduna volta in iſcritto da Noi ò dal Vicario noſtro eccettuando però i boſchi ò prode di querciuole, caſtagni, olmi, ò albereti, e ſimili, che ſien tenuti ò à capitoze ò à polloneti per tagli di legne ò per lauori, nõ à far marroni ò ghiande; gli quali boſchi, prode, ò tagli de ſopranominati ò ſimili debbano però eſſer tagliati à debiti tempi e ſtagioni ſecondo l'vſo de paeſi; di modo che ſieno in perfezione verbi gratia di noue in dieci anni, e ne caſtagneti ò albereti da far lauori di doghe, ò tauole, di venti, trenta, quaranta e più anni conforme al ſolito, pur che non ſegua

anticipatamente di quello che s'vſa per gl'altri buoni vſu-fruttuari, fittaioli, ò prudenti Padri di famiglia. E così gli tre, ò gli cinque anni reſpettiuamente.

Proibiamo di più, alli parenti, ò futuri Eredi, ò in qualſiuoglia modo agenti laici, ò Eccleſiaſtici di qualunque benefiziato nel tempo che egli abbia male pericoloſo di morte di non tagliare qualſiuoglia ſorta di legname nel modo e forma di ſopra proibito tagliarſi di sù i beni delle Chieſe, ſia venuto, ò non venuto il tempo di tagliare ſenza eſpreſſa licenza da ottenerſi da Noi, ò dal noſtro Vicario in iſcritto. Alli traſgreſſori, cioè tanto alli ſteſſi Benefiziati che loro agenti imponghiamo le pene, prima della perdita di tutto quello che taglieranno ò faranno tagliare; in oltre di ſcudi due per pianta fruttifera ò non ſolita da tagliarſi, e tagliata ſenza licēza in iſcritto; e ne' boſchi e tagli fatti auanti al tēpo per ogni volta di ſcudi dieci, e nelli ſcopeti ò ſtipa di ſcudi tre per volta. Alli parenti, Eredi ò in qualſiuoglia modo agenti per detti benefiziati che nelle infermità graui, nelle quali poſſano dubitare della morte del benefiziato traſgrediſſero in alcuno de modi ſopradetti, oltre le ſopradette pene aggiunghiamo contro di loro la Scommunica da incorrerſi ipſo facto. E le pene pecuniarie e valuta delle coſe perdute dalli traſgreſſori, ordiniamo che ſi applichino e ſi diuidino la quarta parte all'accuſatore paleſe ò ſecreto, la quarta alli eſecutori, e il reſtante cioè la metà à luoghi pij. Dichiarando però che quel legname il quale contro al preſente Decreto aueſſero tagliate, e per la traſgreſſione perduto, gli parenti, eredi, ò agenti del benefiziato malato, e che di breue moriſſe di tal malattia, ſi acquiſti, e vadia in vtile del ſucceſſore, che abbia azione di domandarlo ouunque ſi ſia, e tutto in ogni miglior modo.

§. 5. Decedente Plebano, illius Plebaniæ Prior, vel eo infirmitate, ſenectute, iuſta abſentia, aliaue legitima cauſa impedito, vicinior Plebaniæ Rector: Priore autem vel alio eiuſdem Plebaniæ Rectore decedente, Plebanus ipſe, eoq; propter legitimum impedimentum non valente, vicinior ex Plebania Rector duo ſeparata diſtinctaq; inuentaria ſtatim, perſonaliter defuncti domum coràm teſtibus illius Eccleſiæ

paro-

parochianis accedens, conficere teneatur; quorum alterum res ad Eccleſiam ipſam pertinentes, iterum mobilia domus vel ad ipſum defunctum non reſpectu Eccleſiæ ſed ſui ſpectantia, veluti ſupellectilem cuiuſcumque generis, libros, ſcripturas, aurum, argentum ſignatum, fabrefactum, & e cōtra, annonam cuiuslibet ſpeciei; & ſimilia contineat. Eaq. inuentaria confecta Archiepiſcopalis Curiæ Cancellario per nuncium fidedignum ſigillo ſecurè ac vndique ſignata illicò mittat, neq; interim vel ab hæredibus vel ab alijs quiqui ſint, quocumque prætextu aliquid vel ex Eccleſia vel domo vel aliundè amoueri auferriue permittat, vſque dum a Nobis vel noſtro Generali Vicario ei iubeatur quid ſit agendum. Si vero aliquo modo huius Decreti vel à ſanguine coniunctis, vel ab hęredibus defuncti, vel ab alio quouis libera ei executio impediatur, Archiepiſcopalis Curiæ Cancellario id ſignificet; interim tamen, ne per minimum tempus retardetur, poſſit Curiæ Sæcularis brachio vti ad eorum audaciam ſecurius reprimendam.

Directè vero vel indirectè, per ſe vel per alios impedietes, vel res vllas quamuis minimas quouis prætextu, etiam quod ſint res propriæ, auferentes, iuxta Pij V Conſtitutionem omnia ablata vel occupata amittant, eidemq; Eccleſiæ applicentur, omneq; ius petendi aut auferendi amplius quicquam ex bonis prædictis amiſiſſe intelligantur, alijſq; pœnis ex Sacrorum Canonum, Conciliorum, Pontificumq; Decretis contra res Eccleſiæ vſurpantes fulminatas, ſubijciantur.

Illi verò Plebani, Priores, Rectoreſue, qui iuxta ordinem ſupra inſtitutum inuentarium conficere non legitimè impediti recuſauerint, vel fraudem in excuſationis allegatione committere pręſumpſerint: ſciant hoc eſſe præceptum de re graui enixè à Nobis impoſitum; quando vero conſtet de inobedientia, ad pœnas etiam pecuniarias arbitrio noſtro declarandas, Nos progreſſuros, quæ accuſatori pro tertia parte tradentur.

§. 6. Vt autem noſtræ Archiepiſcopalis Curiæ ſtilus optima diutinaq; conſuetudine firmatus, lege etiam ſcripta roboretur, & inter hæredes defuncti & ſucceſſores in Eccleſia-

ſticis

ſticis beneficijs litium origines reſecentur in diuiſione & acquiſitione fructuum, hæc per iſtam Synodalem Conſtitutionem decernimus.

§. 7. Fructus ſiue naturales ſint ſiue induſtriales, qui beneficiati mortis tempore à ſolo fuerint ſeparati ad illius hęredes ſpectare: pendentes verò, ſucceſſorem in beneficio acquirere ſtatuimus: quod locum habere volumus etiam ſi prędicti fructus fuerint locati, neque diem ſolutionis affictus eſſe attendendam: licèt enim non venerit, tamen ſi fructus quorũ cauſa affictus ſoluitur, à ſolo ſint ſeparati, eos defuncti hæres conſequatur; ſin antè mortem prædeceſſoris ipſa dies venerit, fructus verò adhuc pendentes ſint, eos ſucceſſor in Beneficio adipiſcatur.

Fructus verò ciuiles, illi ſcilicèt qui ex re naturaliter infructuoſa quaſi dietim percipiuntur, venerit nec ne ſolutionis dies, pro rata temporis inter hæredem prædeceſſoris & ſucceſſorē in beneficio diuidãtur; excepto tamen Emphyteuſis Canone, qui in dominij recognitione ſoluitur & fructus non æquat (nam ſi æquat procedatur vt in affictu) qui Canon pro rata non eſt diuidendus. At ſi dies ſolutionis ante prædeceſſoris mortem aduenerit. integrum illius hæres habeat; ni venerit, in toto ſucceſſor dominus ſit.

§. 8. Semina cuiuſcumq; ſpeciei, vbi iuxtà regionũ morē dominus eorũ dimidiam partem conferre tenetur, tunc in Eccleſiæ prædijs debita quantitate & qualitate ſemper relinquenda & conſeruanda eſſe ſtatuimus; & ideò licèt defũctus beneficiatus ex datis ſeminibus morte præuentus percipere frũctus non valuerit, illius tamen hęredem eorum gratia nihil à ſucceſſore repetere poſſe firmamus, ſicut etiam expenſas in ſtercoratione proprio licèt ęre confectas.

§ 9. Paleæ quæcumque ex regionum conſuetudine duplicem habent regulam. Vbi enim mos eſt vt in prædiorum vſum relinquantur, licèt mortui hęres cum frumento & ſegetibus à ſolo ſeparauerit & collegerit relinqui tamèn volumus ſucceſſori, qui ad eas conſequendas nihil impendat.

At vbi liberè venduntur & inter alios fructus connumerantur, tunc defuncti hæredi, ſi ſeparatæ à ſolo antè illius

mortem

mortem fuerint, acquiri iubemus: qui tamen hęres ſecundum æſtimationem per duos in hac peritos faciendam, eas ſucceſſori vendere teneatur, ſi tanti emere velit.

§. 10. Cęmenta omnia, vt calx, arena, ſaxa, laterculi, tegulę, trabes, tigilla, tabulæ, ferramenta & ſimilia; ipſius Eccleſię vel Parochialis, vel prædiorum Eccleſiæ, domorum, vel ſparſim in ipſorum agrorū fabricis quoquo modo deſtinata, ſucceſſori remanere præcipimus, & prædeceſſoris defuncti hęredi legitime probandi onus incumbat ea ad id deſtinata non fuiſſe.

§. 11. Omne pecus cuiuſcumque ſpeciei quod in Eccleſiarum prædijs ſit, quanquam in ſucceſſoris dominium non perueniat, attamen ſiue hæres prædeceſſoris ſiue quis alius ipſius pecoris quoquo titulo Dominus ſit ad vſum contractus ſocietatis, ante ſex menſes quàm à dictis prædijs illud remoueat, ſucceſſori in beneficio notificare teneatur.

§. 12. Hæres inſuper defuncti beneficiati, qui beneficii fructus percepit, loco alimentorum vſque ad nouam meſſem teneatur ſucceſſori tradere tantum frumenti viniq;, quod ſit ad rationem duorū ſextariorum, & cadi vnius in vno quoque menſe. Quandò verò beneficium fuerit litigioſum, ita vt oeconomus ſit cōſtituendus, hæres defuncti beneficiati, qui beneficij fructus percepit, vſque ad primam perceptionem nouorum fructuum oeconomo tradere teneatur alimenta non ſolum forma ſupra dicta, ſed omnia neceſſaria iuxtà id quod fuerit à Nobis vel à Vicario noſtro declaratum. Similiter pręter alimenta prędeceſſoris hæres relinquere teneatur pro Sanctiſſimi Sacramenti lampade oleum, ad annuam vnius cadi rationem.

§. 13. Adhùc defuncti beneficiati hæres Sacræ ſupellectilis cuiuſcumque generis & vbicumque ea ſit nullam habeat petendę actionem, ſed illibata ſucceſſori & in inuentario deſcripta tradatur. In Parochialis autem Eccleſię domo ad minùs relinquenda eſſe decernimus infra vulgari ſermone ad ambiguitates tollendas enumerata.

Due letti con panchette e tauole d'albero, ſopra l'vno, e l'altro de quali ſieno i ſacconi, vno con due materaſſe e piu- maccio

maccio di lana; panno, ò coltrone: l'altro con vna materaſſa di lana, e vna di capecchio con panno pure, ò coperta, tutta roba buona. Tutti gli arneſi d'albero neceſſari per vna caſa. Vna ſecchia di rame da pozo, la catena da fuoco, vn paio di ſgabelli, vn paio di ſeggiole baſſe, tutti i vaſi da vino, e da olio di qualſiuoglia ſorta gli quali vi ſi trouaſſero. Reſeruantes tamē Nobis, & Vicario noſtro Generali facultatem iuxtà beneficiorum tenuitatem, caſuumq; varietatem aliquid immutandi, & rigoris remittendi: &c.

§. 14. Huius autèm conſtitutionis obſeruantię curam noſtrę Archiepiſcopalis menſæ Generali Oeconomo pro tempore exiſtenti committimus, qui ſicut ſumma integritate ſub noſtræ indignationis pœna, ſic maxima vigilantia, re quandò opus ſit nobiſcum vel cum noſtro Generali Vicario participata, à Nobis vel ab eo in tanta caſuum varietate ex data in conſtitutione forma, iuſſa legitimè exequatur.

§. 15. Cui Generali Oeconomo paritèr mandamus vt in exactionibus fauore vacantium, vel ſibi commendatarum Eccleſiarum & beneficiorum contrà quoſcunq; debitores faciendis, omnibus iudicij ſolemnitatibus remotis, manu (vt dicitur) regia, brachioq; fiſcali, ſicùt in ijs quæ ad noſtram mēſam pertinent, procedat. Si verò ei videbitur, extraiudicialitèr debitoribus aeris alieni qualitatem, & quantitatem per nuncios à ſe electos ſignificet; & ſi opportunum iudicabit, iuxta qualitatem perſonarum ex improuiſo ad realem, & perſonalem executionem deueniat; qua confecta, decemq; diebus elapſis, abſq; alia iudiciali, vel extraiudiciali notificatione tàm pro liquidis, quàm pro illiquidis creditis, res oppignoratas publicę ſubhaſtationi vēdendas ſupponat. In arduis verò negocijs, antequam tamen ſubhaſtatio ſecuta ſit, pro vtraq; parte vel ad Nos, vel ad noſtrum Generalem Vicarium pateat ſemper iuridica reclamatio, & recurſus; ſed ſecuta ſubhaſtatione omnis ſpes reclamandi tollatur.

De Locis

Tit. II. DE LOCIS.

FIde, inquit D. Paulus, Noe aptauit Arcam in ſalutem domus: fide Abraham expectauit fundamenta habentē Ciuitatem cuius artifex & conditor Deus.

Secundo itaque huius Synodi Tit.ordinaturi de Locis,qui domus Dei firmiter ædificatæ, beneq: ſupra petram fundatę, Ciuitates Sanctæ. deſcendentes de Cęlo à Deo paratę dicuntur, optimo iure Religioſæ fidei materiam Nos continuaturos eſſe credidimus. Cum & à Noemo Arca extructa, & ab Abrahamq expectata Ciuitas iſtorum ſymbolum gererent,atque in iſtis ab infidelitatis & peccatorum cataclyſmo magis quàm in Noemi Arca puſillum Dei gregem ſaluandum eſſe credendum ſit; multoq;nos fidentiùs in iſtis quam Abraham expectaturos Ciuitatem Sanctam, cum hic non modo Deus ipſe nobis artificem ſe & conditorem futurum eſſe promiſerit, ſed factus fuerit angulare fundamentum & lapis, qui in vtroque parietum compage militantis & triumphantis Eccleſię nectitur; ita vt qui crediderit in eum non conteratur.

Primò igitur agendum eſt *Cap.17.De Sacroſanctis Eccleſijs.*
18.De Oratorijs & Capellis.
19.De Confraternitatibus Laicorum.
20.De Sepulturis,& ibi de funeribus.

Cap.XVII. De Sacroſanctis Eccleſijs.

CVm de Rebus Eccleſię ſit hucuſque diſpoſitum,de ipſis etiam Eccleſijs manu quidem factis, ſed peculiari ſummi atque ęterni Dei pręſentia & ſtatione à profanis rebus omninò ſeiunctis,in Catholicę Religionis,hoc eſt,fidei augmentum ex Sacro Concilio agendum eſt.

§.1. Harum venerationem Pius V. Sanctiſſimæ memorię Summus Pontifex in ſua Bulla Calendis Aprilis 1566. incipiente *Cum primum* religioſiſſimè ita conſtituit, vt infrà.

Vt igitur D.O.M. Glorioſæ Virgini, & Sanctis omnibus debitus honos deferatur, Gregorij X. Prædeceſſoris noſtri

Conſtitutionem innouantes, ac Statuta Concilij Tridentini obſeruari volentes: ſtatuimus & ordina mus, vt ad Eccleſiam ſit humilis & deuotus ingreſſus, quieta conuerſatio, deuotis Orationibus inſiſtant omnes, & genibus flexis Sanctiſſimum Sacramentũ adorent, ad nomen Ieſu Chriſti Domini noſtri cum exhibitione reuerentię caput inclinent, nullas in dictis Eccleſijs ſeditiones faciant, tumultum excitent, clamores moueant, impetumue committant, ceſſent vana, fœda, & profana colloquia, riſus immoderati, & ſtrepitus omnes iudiciorum, & alia quæcumque diuinum officium perturbare poſſunt. Nullus intrà Eccleſias deambulare audeat ſiue prę-ſumat, dum celebrantur Sacra Miſſarum myſteria & alia diuina officia. Qui verò prædicta petulanti animo contempſerint, præter diuinę vltionis acrimoniã noſtri quoque arbitrij pœnas incurrent: quæ omnia locorum quoque Ordinarii in ſuis Eccleſi s faciant obſeruari. Quicumque verò in Eccleſijs dum ibi Sacrificium Miſſę & diuina celebrantur officia, ac verbum Dei prædicatur, deambulare, vociferari, aut verſo tergo ad Sanctiſſimum Sacramentum irreuerenter ſedere, aut aliquid quod ſcandalũ generet, aut diuina perturbet officia, facere præſumpſerit, pœnam viginti quinque ducatorum incurret præter alias arbitrio noſtro imponendas & moderãdas pœnas, & qui non habuerit in ære, luet in corpore aut exilio mulctabitur. Qui verò in Eccleſijs cum mulieribus impudicis ſiue etiam honeſtis colloquium ſcurrile habuerit, aut alios inhoneſtos actus fecerit, viginti quinque ducatorũ pœnam incurrat, & carceris per menſem. Qui in Eccleſijs vt ſupra obſcęnis aut inhoneſtis verbis aut ſignis vſus fuerit, aut alia fœdu colloquia cum perſonis quibuſcumque habuerit, decem aureorum pœna mulctetur, aut alias corporaliter puniatur.

Mandamus prętereà omnibus & ſingulis Cathedralium, Collegiatarum, & Parochialium Eccleſiarũ Capitulis, Rectoribus, Vicarijs, Sacriſtis, Oſtiarijs, & alijs ipſarum cuſtodibus, quatenùs pręfatos omnes in Eccleſijs delinquentes admoneant, & vt in eis vetita fieri non permittant, vel ſaltem ipſis Ordinarijs vel Officialibus noſtris puniendos deferant;

quod

quod ſi facere neglexerint, pœnam duorum aureorum vice qualibet incurrant. Pauperes quoque mendicantes ſeù eleemoſinas petentes per Eccleſias tempore Miſſarum, Prędicationum aliorumq; diuinorum officiorum nō ſinant, ſed eos, ad valuas Eccleſiarum ſtare faciant, ſub pœna duorum aureorum Capitulis infligenda pro qualibet vice, niſi eos eijci curauerint, & Parochi dimidia auri. Religioſis etiam Clauſtralibus ſiue Regularibus pręcipimus in virtute Sanctę obedientię, vt in Eccleſijs ſuis deputent aliquem qui tales eijciat, & ſi negligētes fuerint, grauiſſimè ab Ordinario puniantur; quod ſi illi parere recuſauerint, grauiſſimas pœnas incurrant, & pro qualitate perſonarum etiam corporaliter puniantur arbitrio noſtro ſiue ſuperiorum. Et vt in Eccleſijs nihil indecens relinquatur, iidem prouideānt vt capſæ omnes & depoſita, ſeu alia cadauerum conditoria ſuper terram exiſtentia omninò amoueantur, prout aliàs ſtatutum fuit, & defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur.

Nemo itaquè tanti Pontificis vere pij vere Sancti iuſſionibus in tota Diœceſi noſtra contumax eſſe præſumat. Etenim ſicut ipſa Conſtritutio, & Conſtituentis intuitu, & re ipſa & ex ſe, omnium integra obedientia eſt digniſſima; ita meretur vt in illius tranſgreſſores impoſitæ pœnæ acriter infligantur.

§. 2. Cęterum Florentinas Prouinciales & Diœceſanas Synodos ſpecialiter renouantes iubemus præcipuè, vt Eccleſia etiam ruralis pauimento ſit vndique ſtrata, bene tecta & clauſa, ita vt nec beſtijs, nec auibus, nec imbribus pateat; munda, Sacris Imaginibus non profanis ornata, dealbata, & quoad melius fieri poteſt Altaribus & paramentis ſaltem neceſſarijs, nec laceris aut indecentibus inſtructa.

§. 3. In Eccleſias æneæ fiſtulę, haſtata arma, canes aut volucres venatici ne introducantur. Fruges, annona cuiuſumque ſpeciei ibi ne reponantur. Nemo in Eccleſijs pernoctet; nemo eis pro ludo literario vtatur: nemo pręter Principes aut Parochum in eas oſtiola aut feneſtras reſpicientes habeat.

§. 4. Eccleſiarum parietibus aut valuis, res venales, ſchedulę de rebus profanis ne affigantur. Nundinæ, mercatus quarumcumq, rerum & potiſſimum beſtiarum, cauponæ, nego-

tationes, candelarum, imaginum, eſculentorum, poculentorum venditatio, omnes ſæculares actus, quidquid deniq; ſine ſtrepitu fieri nequit, à Cæmeterijs & porticibus ipſarum Eccleſiarum arceantur. Secùs facientes captura & pœnis pecuniarijs arbitrio noſtro declarandis, & executoribus pijſq; locis applicandis, plectantur.

§. 5. Potiſſimum verò maxima efficacitate iubentes renouamus non modò ne quid immundum Eccleſiarum parietibus adhęreat vel proiectum exiſtat, ſed (quod indecentius eſt) ne quis ſecus eos mingat aut ventrem exoneret. Eccleſiaſtici trangreſſores aucatis duobus in ſingulas vices à Nobis plectentur: laici vero eiſdem pœnis per Magiſtratus Sæculares, quos in Domino ad hoc enixè rogamus, caſtigabuntur.

§. Renouamus item prohibitiones & pœnas contra eos qui in Cathedralis Eccleſiæ Cęmeterio (& ad aliarum Eccleſiarum Cæmeteria extendimus) actus prohibitos in Synodo Anni 1619 ſub hoc tit perpetrabunt.

Pręterea omnes tam Prædeceſſorum quàm noſtras prohibitiones contrà inhoneſtas mulieres multotiès editas & publicatas, ſub ijſdem pœnis renouamus, ne in Eccleſias niſi ſtatis temporibus, datis modis, & in illas aſſignatas, ingrediantur.

§. 7. Poſtremò Sacrorum Oratorum exaggerationibus, & piorum virorum iuſtiſſimis lamentationibus permoti, Synodalibuſq; Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus, etiã Clementis VII. inhęrentes, monemus, potiſſimum cum in Eccleſijs Miſſæ Sacrificium offertur, diuina officia celebrantur, vel auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publicæ venerationi exponitur, ne in vicinis plateis Circulatores & alij, quos communi nomine Ciurmatores & Ciarlatanos appellant, publicè nugas, cantus, illecebras exerceant, merces vendant, aliudue agant, quo populi aliquo modo detineantur; Parochis præcipuè iubentes vt à ſuarum Eccleſiarum Cæmeterijs expellant. Quod idem pro muneris debito, ac noſtra impetrante in Domino recordatione eos facturos eſſe ſperamus, qui ſub Religioſiſſimis æquè ac Sereniſſimis Principibus, Ciuitatis iſtius gubernaculo præpoſiti ſunt,

ſunt, acerrimis animaduerſionibus hunc abuſum exterminantes.

Cap. XVIII. De Oratorijs & Capellis.

ORatoria & Capellæ, aut paruæ Eccleſię aut Eccleſiarum partes dici poſſunt, quæ cum in diuini cultus augmentum poſt Eccleſias ipſas conceſſa ſint, meritò poſt eas hunc illis proximum in iſtis Conſtitutionibus locum dabimus. De his latè à Prædeceſſoribus noſtris in Prouincialibus & Diœceſanis Synodis, & à Nobis Anno 1637. ſtatutum fuit.

§. 1. Qua propter in pręſenti Conſtitutione omnia ſub ijſdem pœnis renouantes, quæ aliàs ſtatuta ſunt; ſolummodo in memoriam reuocamus id quod Sacra Rituum Congregatio 17. Nouembris 1607. decreuit.

Scilicèt, vt in Oratorijs potiſſimum priuatis, licèt ex Pontificio Indulto Miſſæ Sacrificium in eis offeratur, quod hodie aliter fieri nequit, vt iuſſit Paulus V. per literas Cardinalis Lancellotti 10. Martij 1615. id ne fiat in ipſo Natalis Domini die, in Epiphania, in prima die Paſchatis, & in prima Pentecoſtes, in ſolemnitatibus Annũciationis & Aſſumptionis B. Virginis, in Feſto Sanctorum Petri & Pauli, & Omniũ Sanctorum: niſi in eodem Indulto nominatim & expreſſe fuerit pro ſupradictis ſolemnitatibus in huiuſmodi Oratorijs celebrandi conceſſa facultas.

§. 2. Caueant pręterea laici potiſſimum rurales, & in Ciuitate pauperes homines, qui Oratoriorum curam quoquo modo habent, in quibus Miſſæ offertur Sacrificium, ne vagos Sacerdotes Sæculares Regulareſue cuiuſcumque conditionis ſint, quibus Eleemoſina pro Sacrificio ſit tradenda, ibi ſinant vllo pacto celebrare, licèt dimiſſorias & quaſcumque legitimas Ordinarij approbationes oſtendant; niſi priùs ipſis præſentibus ijdem Sacerdotes ſuas dimiſſorias Parocho, in cuius Parochia ſitum eſt Oratorium, perſonalitèr obtulerint, quibus ab eo recognitis & examinatis, licentiam ipſis audiẽtibus ab eo reportauerint. Quod ſi ſecùs factum fuerit, in huiuſmodi caſu Oratoriũ Interdicto ſupponimus ipſo facto.

Refe-

Referenda ſunt autèm ad hoc cap. ea, quæ ſub cap. 30. in § de Viſitatoribus Oratoriorum ſunt diſpoſita, cum inſtructione ibi data, ad quam &c.

Cap. XIX. De Confraternitatibus & Societatibus laicorum.

§. 1. LAicorum Confraternitates & Societates, quarum frequentia & Religio in hac pijſſima Ciuitate & Diœceſi maximè floret, quoniam Oratoria ſunt, quando ſupra de Oratorijs egimus, in ijs quæ cõmunia cum eis habent, de Confraternitatibus & Societatibus egiſſe ſub eodem capite noſtra mens fuit: Verùm quoniam nonnulla iſtis peculiaria ſunt quæ cæteris Oratorijs non conueniunt: ideò circa huiuſmodi ſeparatim diſpoſituri, Concilio Tridentino & Clementis VIII. Conſtitutioni inhærentes, id quod à Prædeceſſoribus noſtris in Synodis & à Nobis in Viſitatione ſtatutum fuit, ſpecialiter renouamus & confirmamus, & tanquam Sedis Apoſtlicæ delegati ſeruari mandamus, vt fauente Deo ad maiorem ſui nominis gloriam quotidie religioſorum actuũ vniuerſalis frequentia pro Catholicæ Fidei augmento feliciſſimè amplificetur.

§. 2. Præcipuè autem Apoſtolica auctoritate ſuffulti iubemus, ne Capitula, Conſtitutiones, aut reformationes abſque noſtra aut Vicarij noſtri approbatione & ſubſcriptione retineant, quod etiam Decreuit Sacra Rituum Congregatio 7. Octobris 1617.

§. 3 Comeſſationes vnuſquiſq; à ſuę Confraternitatis Oratorio repellat. Legata pia, ſi quibus tenentur, exequi curent exactiſſimè, eaq; in libro ad hoc ſolùm deſtinato, vel in Albo publicè in Confraternitate, vel Societate expoſito deſcribant.

§. 4. Correctorem Sacerdotem habeant à Nobis ſpecialitèr approbatum, ſiuè Parochum vbi hoc moris eſt.

§. 5. Rationes ſiuè Nobis, ſiuè alijs, quibus de iure debent, ſtatis temporibus reddant.

§. 6. Quidquid autem contra has conſtitutiones, vel contra cætera à Prædeceſſoribus, vel à Nobis ordinata, in qui-

bus

bus expreſſa pœna non fuerit, delinquetur, arbitraria à Nobis declaranda, punietur.

§. 7. Concionandi munus, vt ſuprà in cap. de Prædic. Verbi Dei, laici præter familiares ſermones in Confraternitatibus, & Societatibus ſub pœnis ibi ſtatutis ne exerceant, contra quē abuſum vehementi ſpiritus feruore inuehimur nonnullorum laicorum temeritatem in hac Ciuitate potiſſimum omninò damnantes, qui nihil Summorum Pontificum, & Synodales conſtitutiones facientes, vbiq; per Confraternitates liberè verba faciunt; ad quorum emendationem, Confraternitatum, & ſimilium locorum Correctoribus, omnibuſq. Parochis, & Confeſſarijs diſtrictiſſimè iubemus, vt grauiſſimis increpationibus, & pœnitentijs eorum effrȩnatam inobedientiam coerceant.

§. 8. Vagos Sacerdotes, vt ſuprà de Oratorijs diſponitur, ad Sacrum faciēdum ſub interdicti pœnà ijdem laici in Confraternitatibus, & Societatibus ne admittant.

§. 9. Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, vt ſupra eodem tit. verſ. In Societatibus laicorum ſub interdicti pœna non ſeruata illius Conſtitutionis forma, ne exponant.

§. 10. Ad mortuorum cadauera aſſocianda tam in ciuitate quam extrà laicorum Confraternitates inuitatȩ accedant, & vnica tantùm non plures in eodem funere; & ſit ea quæ fuerit vel à defuncto ante mortem, vel ab eius hȩredibus nominatim electa. Quando autem huiuſmodi electio à nemine eorum facta fuerit, tunc illa accedat, quæ fuerit ſub Parochiali Eccleſia, in qua erat defunctus, & ab ipſo Parocho inuitetur.

Cap XX. De Sepulturis.

CVm Sepulturæ & Cœmeteria in Eccleſijs vel inferiorē vel externum locum obtineant: ideò in hoc titulo de locis nouiſſimum hunc eis ad ordinem proportionis ſeruandum tribuimus; arbitratiq; fuimus Chriſticolas omnes reminiſcentes id de quo Regius Propheta lamentabatur: Poſuerunt morticina ſeruorum tuorum, eſcas volatilibus coeli:

carnes

carnes Sanctorum tuorum beſtijs terræ. Effuderunt ſanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Hieruſalem: & non erat qui ſepeliret; in ſuis mentibus Religionis actus faciliter excitaturos eſſe: conſiderantes ideò hæc omnia ab Eccleſia fuiſſe ſumma pietate inſtituta, vt decenter ea caro & oſſa ſeruentur, quæ licèt nunc in cinerem & puluerem ſint conuerſa; diebus tamen extremis in ictu oculi, cœleſtis tubæ clangore audito, ſignoq; Crucis in fronte ſignata, abſque minima etiam numeratorum capillorum iactura, ſed beatitudinis dotibus induta cœleſtium regnorum felicitatem perenniter conſequentur.

§. 1. Primum itaque Prædeceſſorum noſtrorum & noſtras Synodales Conſtitutiones peculiariter renouantes, confirmātes, ſeruariq; mandantes, & Pij V. Summi Pontificis Bullæ Calendis Aprilis 1566. inhærentes, præcipimus vt intra duos menſes in omnibus noſtræ Diœceſis Eccleſijs, Oratorijs, Capellis, Confraternitatibus, capſæ omnes & depoſita ſeu alia cadauerum conditoria ſuper terram exiſtentia omnino amoueantur, niſi ſint ænea, marmorea, aut lapidea, & in locis ad ornamentum Eccleſię, non impedimentum afferendum, diſpoſita. Defunctorum verò corpora tam quę ſunt in ſupradictis omnibus etiam exceptis monumentis iam ſepulta, quam in futurum ſepelienda, infra terram collocentur; non tamen ſub Altaribus neque ſub gradibus eorum. Tranſgreſſores arbitrariæ à Nobis declarandæ caſtigationi ſubijcientur.

§. 2. Sepulturæ autem ſint, tam in Eccleſijs, Oratorijs, Capellis, & Confraternitatibus quam in Cœmeterijs, benè dupliciq; clauſura quoad fieri poteſt obſeratæ. Cœmeteria verò potiſſimùm ea, in quibus tumbę non ſunt opere fornicato conſtructæ, & eo magis quę extra ciuitatem ſunt, muro vel alio quouis modo circumdentur & claudantur, ita vt neque hominibus, neque beſtijs, neque immunditijs libera pateant, ibique conſpicua & magna Crux erigatur ſub pœna arbitrij.

§. 3. Eiulatus omnes, qui in Eccleſijs & in aſſociationibus defunctorum à mulieribus & ab alijs conſanguineis aut amicis ſuper cadauera demortuorum excitari ſolent, omninò vetamus. Parochiſq; maximè ruralibus præcipimus, vt de hac

noſtra Conſtitutione parochianos frequenter moneant, curentq; pro viribus vt omnimodè iſte tollatur.

§. 4. Et quoniam occaſione defunctorum vel inter Parochos ipſos, vel inter Parochos & hæredes defuncti controuerſię, quæ ſcandalum prębent, quotidie oriuntur: ideò ad eas tollendas infraſcripta decernimus ſeruariq; pręcipimus à Parochis & Eccleſiaſticis quibuſcumque tam Sæcularibus quã Regularibus, non obſtante quacumque conſuetudine niſi ſit immemorabilis, vel niſi aliter ſpeciali Sedis Apoſtolicę indulto cautum ſit.

Volumus igitur vt electio Sepulturæ, niſi facta fuerit in teſtamento vel per inſtrumentum probari poſſit, tunc duobus ſaltem teſtibus probetur, qui ſint conteſtes, & eorum depoſitio iudicialiter recognoſcatur, & non ſint de Sacerdotibus vel de Religioſis illius Eccleſiæ, in qua corpus ſepeliri prætenditur, nec ſint tales qui quacumque ratione poſſint habere intereſſe.

§. 5. Parochi omnes tam Sæculares quam Regulares, vel qui eos repreſentant, in aſſociandis ad Eccleſiam defunctorũ cadaueribus procedant induti ſemper, etiam ſuperpelliceo & Stola: alioquin non habeantur tanquam Parochi, nec pręcedentiam Parochis debitam prætendere poſſint, nec alius Parochus illis tunc dare eam teneatur, quæ alioquin ſi cum ſuperpelliceo et Stola adeſſent, eiſdem de iure competeret.

§. 6 Inhærendo Conſtitutioni Synodali 1627. tit. de Sepulturis, quam quo ad omnia omnino innouamus, confirmamus, ſeruariq; iubemus, eam declarando eiq; addendo decernimus, quod ſi aliquandò contigat corpus defuncti tumulandum eſſe in locis, vbi perſonæ Religioſæ degunt, quæ non habent vſum erigendi Crucem aut publicè procedendi, tunc erigere Crucem ad eum Parochum ſpectet, in cuius Parochia Eccleſia illa ſita eſt; & ſi defunctus ſit de Parochia illius Parochi qui Crucẽ erigit, tunc de intortitijs quę ſunt circa Crucem, quarta pars eorũ omnium, & prætereà medietas eorum quæ remanent, ipſi Parocho Crucem erigenti debeantur.

§ 7 Confirmamus prætereà id quod in eadem Conſtitutione decernitur, quod ſcilicet ex omnibus intortitijs, quæ collu-

cent circà funus, nempè circa Crucem, circa feretrum, circa Clericos & Regulares, & alios quoſcumque qui funus comitantur, medietas illorum & inſuper duo acquirantur, & ipſo facto acquiſita cenſeantur Cruci.

§. 8. Declarantes inſuper & prohibentes hæredibus defuncti, vel eos quouis titulo repræſentantibus, ne poſſint quocũque pretextu aliam minorem partem vel quantitatem quàm prędictam Cruci aſſignare.

§. 9. Si corpus defũcti ex ipſius diſpoſitione vel hęredũ voluntate ſepeliri debeat ſtatim atque ad Eccleſiam peruenerit, mãdamus vt in ipſa Eccleſia, dũ exequię celebrantur, ſit circa corpus decens cereorum vel candelarum numerus accenſus; & ſi nullę alię fuerint aſſignatę, inſeruiant ipſa intortitia, quæ ferebantur circa cadauer, hoc eſt, ea mediates quæ non erat Cruci aſſignata, eaq; remaneant, acquirantur, & ipſo iure pro acquiſitis præſumantur Eccleſię, in qua cadauer ſepelitur.

§. 10. Si quis commoretur in aliqua parochia ad breue tẽpus, ita vt non ſit effectus illius Eccleſiæ Parochianus, in eaq; Parochia moriatur: declaramus ad parochum illius Eccleſiæ ire ad funus non ſpectare, & conſequenter non eſſe ab hæredibus vel ab alijs neceſſariò ad funus inuitandum. Volumus tamen quod vel dicti hęredes, vel proprius defuncti Parochus illum certiorem faciant antequam corpus de eius Parochia extrahatur.

§. 11. Si quis fuerit abſens à loco, in quo habet firmum & permanens domicilium, & eo tempore ibi moriatur vbi ad tempus habitabat vel habitare debebat: decernimus & declaramus proprium Parochum quo ad iura Parochialia eum eſſe, in cuius Parochia retinet prædictum domicilium, & ei aſſignandam eſſe quartam funeralem; & hoc maximè quando corpus defuncti ad ciuitatem, oppidum, vel locum domicilij transferendum ſit.

§. 12. Si quis habuerit propriam Parochiam extrà moenia ciuitatis, & exiſtens ad breue tempus in ipſa Ciuitate ibi decedat nulla electa ſepultura; ſepeliatur in ſua Eccleſia Parochiali extrà ciuitatem, ſi ad eam cõmodè transferri poſſit, & ſuus proprius Parochus id petat. Qui quidem Parochus poſſit cũ

Cruce

Cruce ingredi ciuitatem, & ad locum vbi defunctus iacet accedere. Parochus verò Eccleſiæ, de cuius Parochia corpus extrahitur, nil prætendere valeat nec ius habeat circa intortitia, quæ Cruci aſſignantur. Si verò proprius Parochus noluerit vel non potuerit ingredi ciuitatem, & tamen velit in ſua Eccleſia defunctum ſepeliri; tunc ad Parochum illius Eccleſiæ, ex cuius Parochia corpus extrahitur, ſpectet cum ſua Cruce ire ad funus & corpus aſſociare vſque ad portam, nec vlteriùs procedere teneatur, ſed ibi extinguantur omnia intortitia Cruci aſſignata, & omnia ſint & pertineant & ipſo facto tradantur ipſi Eccleſiæ & Parocho, qui vſque ad portam cum própria Cruce corpus aſſociauit.

§. 13. Similiter ſi quis habens Parochiam intra moenia ciuitatis elegerit ſepulturam in aliquo religioſo loco extrà ciuitatem, locus ille vel Eccleſia, in qua ſepeliri debet, vel ea ad quam ſpectat iuxta diſpoſitionem §. 6. erigat Crucem cum qua ingredi poſſit ciuitatem, & accedere ad Eccleſiam Parochialem & locum defuncti: Parochus autem Eccleſiæ Parochialis comitetur funus vſque ad portam ciuitatis, nec vlteriùs progredi teneatur; ſed ibi conſignetur ei quarta funeralis Quod ſi dicta Eccleſia vel locus, in quo ſepeliri debet defunctus, noluerit vel non potuerit cum Cruce ingredi ciuitatem; tunc Parochus, vt ſuprà dictum eſt in §. 12. teneatur cum propria Cruce irè vſque ad portam, nec vlteriùs progredi. Intortitia autem Crucis ibi omnia extinguantur, & omnia pariter ad eum ſpectent, & ipſo facto tradantur.

§. 14. Omne id quod in præcedentibus duobus §§. diſponitur, in caſibus in quibus corpus defuncti de ciuitate transferri debet extra moenia, idem omninò vice verſa ſeruetur quando de loco extrà ciuitatem intrà eiuſdem ciuitatis moenia tranferri debet.

§. 15. Poſtremò ad remouendam omnem auaritiæ occaſionem, id quod ſtatuitur in Synodo Anni 1610. & 1619. & in Rituali verſ. *Caueant, & Pauperes vero*, pręcipuè renouamus, confirmamus, ſeruariq; mandamus, monentes ne Parochi & alij Sacerdotes etiam Regulares quicquam tanquã pretium exigant: imò pauperes, quibus mortuis nihil aut ita

I 2 parum

parum ſupereſt vt proprijs impenſis humari non poſſit, gratis ſepeliant, ac debita lumina ſuis impenſis, ſi opus fuerit, adhibeant Sacerdotes, ad quos defuncti cura pertinet, vel aliqua pia Confraternitas, ſi fuerit iuxtà loci conſuetudinem.

Laici verò eleemoſinam decentem fraudolenter Eccleſiæ ne denegent, ſed religioſè ad iſtos pietatis externos actus proprijs expenſis pro viribus concurrant, Tranſgreſſores ex vtraque parte arbitrio noſtro acriter punientur.

TIT. III. DE TEMPORIBVS.

CVm fide, vt ſcripſit Apoſtolus, intelligendum ſit aptata eſſe ſęcula verbo Dei, neceſſe eſt vt nos magis quàm ij, qui non acceptis repromiſſionibus, ſed à longè eas aſpicientes, ſalutantes, & confitentes, teſtimonio fidei probati maxima in fide opera patrauerunt: neceſſe eſt in quam vt nos in hac plenitudine temporum, in quibus nobis Deus melius aliquid prouidit, proximè aſpicientes in auctorem fidei & conſummatorem Ieſum, tanquàm filij quibus Deus ſe patrem offert, diſciplinam amplectamur, per quam fructum pacatiſſimũ recipiamus, cuſtoditi per fidem in ſalutem paratam reuelari in tempore nouiſſimo.

In hoc itaque præſenti Titulo, in quo de Temporibus ſtatuendum eſt quo pacto per eorumdem temporum obſeruãtiam fides religioſè in cordibus noſtris cuſtodiatur, docendũ eſſe putauimus.

Agemus itaque,

Cap. 21. De Ieiuniorum obſeruandorum tempore.
22. De Feſtorum dierum cultu, & eorum Catalogo.
23. De Tempore Reſidentię, quiq; ad eam teneantur.

Cap. XXI. De Ieiunijs.

DOminicus ager rorante deſuper gratia Dei & fide impinguatur, & ſanctificato pariter cum Oratione Ieiunio, religioſè exercetur & fœcundatur; vt eradicato omni ſemine vitiorum (quod, genus peſſimum Dœmoniorum

hac

hac ſola vi eijciendum, vocari poteſt) conualeſcat ſeges lętæ vberiorum. Cupientibus itaque Nobis, quibus à Domino huius agri cultura in noſtra Diœceſi commiſſa eſt, vt omnia ad id vtilia per iſtas Conſtitutiones veſtrę pietati repræſentētur, aliquid de ipſius Ieiunij obſeruantia & ſanctificatione aliàs ordinatum renouare ſtatuimus. Cuius Ieiunij ſicut à veteri lege noui teſtamenti gratia ſumpſit exemplum, ſic adimpleuit vtilitatem.

§. 1. Etenim iubentibus Apoſtolicis traditionibus, Canonum, Pontificum, Conciliorum legibus, quibus omninò inhæremus, receptiſq; Ieiuniorum in Eccleſia temporibus, illud in ea inſigniter viguit, quod ſuo Dominus Ieſus Chriſtus commendauit & confirmauit exemplo. Renouando itaque, roborando, & obſeruari mandando Florentinas Prouinciales Diœceſanaſq; tam à Prædeceſſoribus noſtris quàm à Nobis editas Synodorum ſanctiones, monemus numerum & tēpora Ieiuniorum eſſe infraſcripta.

§. 2. Dies Quadrageſimæ omnes exceptis Dominicis, in quibus tamen etiam a vetitis nedum carnibus ſed ouis & lacticinijs abſtinendum eſt. Quod Ieiunium quadraginta ſex diebus clauditur: incipit vero, ſicut alij omnes, a media nocte, ea ſcilicèt quæ antecedit feriam quartam Cinerum: quæ media nox cum iuxtà temporum diuerſitatem variet, per ſemihoram ante Cathedralis Eccleſiæ ſono redditur certa; conſummatur autem hoc Ieiunium poſt mediam noctem, quæ Sabbatum Sanctum ſubſequitur.

§. 3. Quatuor Anni tempora per tres in hebdomada dies, feria ſcilicet quarta, ſexta, & Sabbato in ſingulas vices.

§. 4. Vigiliarum dies ſolemnitatibus præcedentes niſi ſolemnitas in feriam ſecundam cadat: tunc enim Ieiunium ne incidat in Dominicam, Sabbato antecedēti obſeruandum eſt.

Solemnitates autem ſunt:

Natiuitas Domini, quę ſi feria ſexta vel Sabbato celebretur, non eſt leuanda prohibitio comedendę talibus diebus carnis, ſed libere eis veſci datur obtanti beneficij exultationē, nullo mœrore etiam externo miſcendam.

Omnes Sancti.

S. Lau-

S. Laurentius.

SS. Apoſtoli, præterquàm Philippus & Iacobus, & Ioannes Euangeliſta.

Aſſumptio Beatæ Mariæ Virginis.

Conceptio eiuſdem in Ciuitate dumtaxat, primum ex voto, quo propter peſtilentię liberationem nobiſcum vniuersũ illius populum per ſingulos annos ad Ieiunium obligauimus nunc verò cum iã in vim legis tañ fierit, Nos vt tale in pręſenti Conſtitutione ad perpetuam obſeruantiam promulgamus, ſeruariq; ex præcepto mandamus.

Natalis S. Io. Baptiſtę: quod tamen Ieiunium die præcedente Solemnitati in tota Diœceſi, prout in reliquo Chriſtiano orbe ſeruatur; in ciuitate verò dumtaxat (inſtante primùm nobiliſſimo, eruditiſſimo, & pijſſimo viro Ioanne Baptiſta Strozi, vt in eius literis in noſtra Cancellaria ſeruatis 21. Februarij 1631. apparet, ad Vrbanum VIII. ſummum Pontificẽ ſuppliciter miſſis: poſtmodum Archiepiſcopo Coſmo de Bardi ex Comitibus Vernij Illuſtriſſimo Prædeceſſore, noſtro, vt in Bulla Pontificis legitur) translatum eſt. Quia cum ob diem feſtum ludicraq; & alia, quæ in Vigilia Natiuitatis S. Io: Baptiſtę in ciuitate Florentina occaſione feſtiuitatis huiuſmodi ſeu aliàs celebrantur & fiunt, magnamq; conuicini populi illuc proindè confluentis frequẽtiam abuſus circa Ieiunij prędictæ Vigiliæ tranſgreſſionem dudum irrepſerit: idcirco honoris Dei &c. (quę ſunt ſummi Pontificis verba, ſicut ſequentia) committimus mandamus, vt in ciuitate Florentina dumtaxat Vigiliam feſti Natiuitatis S. Io. Baptiſtæ præfatam, quæ fit die 23. Menſis Iunij in 22. diem eiuſdem menſis auctoritate noſtra arbitrio ſuo transferat; ita vt ſi translationẽ huiuſmodi vigore pręſentium ad eodem Coſmo Archiepiſcopo fieri contigerit qui præcepto Ieiunij dicta die 22 menſis Iunij ſatisfecerint, ad aliud Ieiunium in eadem Vigilia minimè teneantur.

Voluimus autem eiuſdem Bullę verbis vti ad ſcrúpulos & opinionum varietates tollendas, quas forſan ſuſcitauit publicatio Edicti Illuſtriſſimi D. Thomæ Ximenes Epiſcopi Feſulani, cui propter mortem pręfati Archiepiſcopi Coſmi illarũ lite-

ſiterarum executio ab eodem Pontifice demandata fuit, ſeruata tamen, vt legitur in Bulla, in omnibus & per omnia illarum forma.

Quando autem eadem Vigilia S. Io: Baptiſtæ in diem feſtum ſolemnitatis Corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti incidet, in eodem feſto non eſt ieiunandum, neque à carnibus abſtinendum; ſed anticipandum ieiunium die immediate antecedenti, ſcilicèt feria quarta prout ieiunaretur in ipſa Vigilia. Sic decreuit Sacra Rituum Congregatio die 24. Septembris 1628. & confirmatum id fuit ab Vrbano VIII. Sūmo Pontifice die 13 Octobris 1638. vt in Bulla edita apparet.

§. 5. Principium Ieiuniorum omnium eſt à media nocte antecedente, ad implementum verò ad mediam ſubſequentem producitur. Hora autem vnicæ refectionis prandij diebus in quibus ieiunium ſeruatur, eſt poſt meridiem, moraliter tamen & iuxta loci conſuetudinem; niſi fortè cum cauſa meridiana refectio cum veſpertina refectiuncula commutetur: quod cautè agendum ſemper eſt.

§. 6. Inſuper ex receptiſſima conſuetudine ex iure communi proueniente per totam noſtram Diœceſim in omnibus ieiunijs (excepto Quadrageſimali) licèt omnibus, ouis & lacticinijs veſci.

In Quadrageſima verò ſi quis abſquè legitima licentia oua & lacticinia comederit, & in eadem Quadrageſima vel alijs ieiuniorum diebus, vel feria ſexta, vel Sabbato carnes ciboſq; vetitos ederit, grauiter ita delinquet, vt Nobis eius culpę abſolutio ſit reſeruata; à qua nemo tam Sæcularis quā Regularis Confeſſarius ſub Excommunicationis pœna à Sacra Congregatione Epiſcoporum & Regularium die 9. Ianuarij 601. & die 20 Nouembris 1602. ſtatuta, ſine noſtra licentia abſoluere minimè poterit.

§. 7. Eccleſiaſticum autem hoc prçceptum abſtinendi ſe à carnium & aliorum vetitorum ciborū comeſtione, poſt ſeptennium completum, à quo ætas incipit diſcretionis, in ſupradictis diebus ſub lethali culpa ſeruandum eſt. Ieiunij autem pariter Eccleſiaſtici obſeruantia vigeſimo primo anno completo ſub peccati mortalis vinculo ligat. ✝

✝ § 8. vide in Dec[r]etis in calce Synodi

§. 8. Fides

§. 9. In memoriam etiam omnibus reuocamus, præcipuè in Quadrageſimalis ieiunij tempore, præteritarum Conſtitutionum circa venditionem carnium obſeruantiam, à laniarijs & ſimilibus tabernis retinendam, eſſe ſcilicèt hoc ſtatis per ciuitatem locis debito modo & operimento faciendum; Magiſtratuſq; ad hoc à Sereniſſimis Principibus conſtitutos in Domino etiam atque etiam rogamus, vt pœnis etiam condignis ſeueriſſimè tranſgreſſores coerceant.

§. 10. Præcipimus vltimo loco Parochis & potiſſimum ruralibus, vt inter Miſſarum ſolemnia populum vnuſquiſque ſuum de harum & cæterarum rerum ad Ieiunium ſpectantiū obſeruantia doceant.

Hæc de Ieiunijs externè ſeruanda ordinauimus, cæterùm vt Ieiunia noſtra Deo acceptabilia ſint ſacrificia, & ne vocem illius in cordibus noſtris ſic increpantem audiamus; nunquid Ieiunium ieiunaſtis mihi? in peccatis noſtris ne ieiunemus, neque voluntas noſtra in ieiunijs noſtris inueniatur. Non enim acceptabile eſt Domino (qui dixit; Cū ieiunatis nolite fieri ſicut Hypocritę triſtes) non acceptabile eſt contorquere quaſi circulum caput ſuum, & ſaccum & cinerem ſternere. Nobis enim, cum ieiunamus vngere caput & faciem hilaritate veſtire licèt. Diſſoluamus ergò colligamenta impietatis, frangamus eſurienti panem noſtrum, egenos vagoſq; inducamus in domum noſtram, cum viderimus nudum operiamus eum, & carnem noſtram ne deſpexerimus. Tunc enim erumpet quaſi mane lumen noſtrum, & ſanitas noſtra citiùs orietur. Anteibit faciem noſtram iuſtitia noſtra, & gloria Domini colliget nos. Tunc inuocabimus, & Dominus exaudiet, clamabimus & dicet: Ecce adſum. Tunc orietur in tenebris lux, & tenebræ noſtræ erunt ſicut meridies.

Cap XXII. De Feſtorum dierum cultu.

§. 1. PRęceptum in Deuteronomio Hebręorum populo datum vt diem Sabbati obſeruaret, eo quod cum diù ſeruiuiſſet in Aegypto, illum indè Dominus Deus in manu forti & brachio extento liberauit: Synodalis huius Con-

ſtitutionis

ſtitutionis, in qua de feſtorum dierum cultu ſtatuendum eſt, obſeruantiæ ſpem addit ampliſſimam. Quoniam manu verè forti qua clauorum foramina pertulit, & brachio in Cruce extenſo, ab inferorum grauiſſima ſeruitute nos Dominus Ieſus Chriſtus eripuit. In cuius immenſi beneficij recordatione ſicut gloriari oportet, ſic feſti dies ab omni procul ſeruili opere vacando imitatione conuerſationis & fidei Sanctorum, ſolemniter Reparatori noſtro à media nocte antecedente vſque ad mediam noctem ſubſequentem ſunt offerēdi. Idque nobis per Decalogum, per Apoſtolicas traditiones, per Canones, per Concilia, per Summorum Pontificum Cōſtitutiones (quibus omnibus inhæremus) & per Florentinas Prouinciales Diœceſanaſq; Synodos (quas renouamus) ſub peccati mortalis pœna iubetur.

Pręcipuè autem Idibus Septembris 1642. ad perpetuam rei memoriā Vrbanus VIII. recentiſſimè Bullam edidit, in qua clarè de celebratione feſtorum ita conſtituit.

De Apoſtolica auctoritate.

DEcernimus & declaramus infraſcriptos dumtaxat dies pro feſtis ex præcepto colendos eſſe; quos nempè vel ab initio veneranda ſacrauit antiquitas, vel vniuerſalis Eccleſiæ probauit conſuetudo, vel omnium gentium vnanimis pietas veneratur.

Feſtiuitates mobiles ex pręcepto.

Dominicos ſcilicet dies totius anni.
Reſurrectionem Domini cum duabus ſequentibus ferijs.
Aſcenſionem Domini.
Pentecoſten cum duabus pariter ſequentibns ferijs. Vigil. cum Ieiunio.
Sanctiſſimam Trinitatem.
Solemnitatem Corporis Chriſti.

Feſtiuitates ex præcepto non mobiles.

Ianuario dierum 31.

1. Circuncisionem Domini.
6. Epiphaniam Domini. Vigilia ſine Ieiunio.

Februario 28. *Anno Biſſextili* 29.

2 Purificationem Deiparæ Virginis.
24 S Mathiam Apoſtolum. Quę feſtiuitas in Anno biſſextili celebratur die 25 Vigilia cum Ieiunio.

Martio 31.

19. S. Ioſeph Confeſſorem,
25. Annunciationem Beatiſſimę Virginis Mariæ.

Aprili 30.

caret

Maio 31.

1. SS. Philippum & Iacobum Apoſtolos. Vigilia ſine Ieiunio.
3. Inuentionem Sanctæ Crucis.

Iunio 30.

24. Natiuitatem S. Ioannis Baptiſtę. Vigilia cum Ieiunio.
29. SS Petrum & Paulum Apoſtolos. Vigilia cum Ieiunio.

Iulio 31.

25 S. Iacobum Apoſtolum Vigilia cum Ieiunio.
26. S. Annam Deiparę Virginis Genitricem.

Auguſto 31.

10. S Laurentium Martyrem. Vigilia cum Ieiunio.
15. Aſſumptionem Beatiſſimæ Virginis Mariæ. Vigilia cum Ieiunio.
25. S. Bartholomæum Apoſtolum. Quæ feſtiuitas extra Vrbē colitur die 24. Vigilia cum Ieiunio.

Septem-

Septembri 30.

8. Natiuitatem Beatiſſimę Virginis Mariæ.
21. S. Matthæum Apoſtolum & Euangeliſtam. Vigilia cum Ieiunio.
29. Dedicationem S. Michaelis Archangeli.

Octobri 31.

28. SS. Simonem & Iudam Apoſtolos. Vigilia cum Ieiunio.

Nouembri 30.

1. Omnes Sanctos. Vigilia cum Ieiunio.
30. S. Andream Apoſtolum. Vigilia cum Ieiunio.

Decembri 31.

21. S. Thomam Apoſtoloum. Vigilia cum Ieiunio.
25. Natiuitatem Domini. Vigilia cum Ieiunio.
26. S Stephanum Protomartyrem:
27. S. Ioannem Apoſtolum & Euangeliſtam.
28. SS. Innocentes.
31. S. Syluestrum Papam & Confeſſorem.

Atque vnius ex principalioribus Patronis in quocumque regno ſiue Prouincia, & alterius pariter principalioris in quacumque ciuitate, oppido vel pago, vbi hos Patronos haberi & venerari contigerit. Ad reliquorum verò dierum obſeruantiam, quos hactenus ſiue in vniuerſa Eccleſia, ſiue in quauis natione aut regno, prouincia, Diœceſi aut loco quomodocumque ſiue ex pręcepto ſiue ex conſuetudine, ſiue ex deuotione Chriſti fideles tanquā feſtiuos celebrarunt, nequaquam ex præcepto ipſos teneri dicta auctoritate tenore præſentiū perpetuò etiam decernimus & declaramus. Ne autem dies feſtos a locorum Ordinarijs nimia aliquorum facilitate aut populorum importunitate deinceps temere multiplicari cōtingat, eoſdem Ordinarios in Domino monemus vt ad Eccleſiaſticam vbique ſeruandam ęqualitatem de cætero perpetuis futuris temporibus ab indictione ſub præcepto nouorum feſtorum ſtudeant abſtinere. Vt vero ea quæ ſuperius

expreſſa ſunt, frequentiori qua decet veneratione, ac deuotione colantur, eiſdem Ordinarijs antiquorũ Canonum obſeruãtiam ad memoriam reuocamus in concedendis licentijs laborandi diebus feſtis Quæ quidem licentia non aliter quam ad formam prædictorum Canonum, vt præmittitur concedenda, non niſi gratis, liberè, & ſinè vllo prorſus pretio, aut pacto, directè, vel indirectè concedantur ſub pœnis etiam grauioribus noſtro, ſucceſſorumq; noſtrorum arbitrio infligendis. Non intendimus tamen per hanc noſtram conſtitutionem dies feriatos circa iudicialia in aliquo immutare, quos ad hunc effectum relinquimus in eiſdem ſtatu, & terminis quibus erant ante eiuſdem promulgationem.

§. 2. Igitur ſuprà enumeratas feſtiuitates Parochi potiſſimùm rurales ſingulis Dominicis inter Miſſarum ſolemnia populo denuncient, ei ſub pœna peccati mortalis iubentes vt à ſeruilibus operibus vacet, & Miſſę ſacrificio interſit; reliquas verò feſtiuitates huculquè, etiam ex immemorabili cõſuetudine celebrari ſolitas; ſiuè Sancti Titularis, ſiue Patroni Eccleſiæ, niſi ſint de compræhenſis in Bulla, vllo pacto in poſterùm ex præcepto obſeruari ne imperent.

§. Quod autem ad permiſſiones ſpectat, quæ à Nobis iuxtà ſacrorum Canonum formam in tota noſtra Diœceſi ſunt concedendæ in neceſſitatis caſibus, ea omnia confirmamus quę in Synodo anni 1619: à Prędeceſſore noſtro, & à Nobis in Synodo anni 1937. latè declarata ſunt; & ex Decreto Sacræ Congregationis Concilij edito menſe Nouembris 1625. maximè ruralibus Parochis præcipimus, & ſimilibus, vt audito priùs Sacro Agricolis laborandi facultatem permittant, non ſpecialiter, ſed vniuerſaliter; & inter Miſſarum ſolemnia, quandò expedire iudicauerint, adeſſe tempus colligendi fructus annuncient.

§. 4 Denuò autem expreſsè monemus ne diebus ex præcepto feſtis, illi quibus conceſſa eſt ex laudabili huius Ciuitatis vſu ea (quę vulgò dicitur, *la Tratta*) vel alio quouis legitimo titulo datum eſt vt officinas aperiant (puta Aromatarijs, Salgamarijs, & ſimilibus victuarijs) ne mercium, aut annonæ apparatum (qui abuſus omnium bonorũ ſcandalo paucis

abhinc

abhinc annis eſt introductus) extrà officinas exhibeant; at pro ementium neceſſitatibus eas patentes ſolummodò habeant. Enixè autem Parochis, & Confeſſarijs iubemus, vt parochianos, & pœnitentes de hac tàm graui culpa vehementer increpent, & caſtigent.

§. 5. Declaramus autem feſtiuitatem S. Zenobij quæ hucvſque in Ciuitate tantùm Synodali conſtitutione ex præcepto ſeruata fuit, in futurum ex maxima tanti Antiſtitis, & Patroni deuotione, non ex præcepto fore celebrandam: quod idem de feſtiuitate S. Franciſci ad præfatæ Bullę normam omnes noſtræ Diœceſis populos monemus; licèt in Synodo Anni 1637. ex Decreto Sacræ Congregationis 1622. ex præcepto ſeruandam eſſe iuſſerimus.

§. 6. Quoniam verò in eadem noſtra Synodo 1637. feſtiuitati S. Andreæ Corſini diem certũ 23. Ianuarij aſſignauimus, ne quotannis translationibus ſubiaceret: ex eodem capite S. Athanaſio Epiſcopo & Confeſſori diem feſtum 5. menſis Maii, & S. Romulo Epiſcopo & Martyri diem 7. menſis Iulij in futurum decernimus.

§. 7. Poſtremò quoniam percepimus Conſtitutionem de celebratione feſtorum tit. 11. Synodi Anni 1637. verſ. & primo quidem pag. 14. à Parochis præſertim ruralibus non integrè obſeruari; ideò omnium conſcientiarum indemnitati prouidere maximè cupientes, eam denuò cum infraſcripta declaratione confirmamus, & in poſterũ exactè ab omnibus ſeruari mandamus; ſtatuentes ſub pœna peccati mortalis & ſuſpẽſionis a Diuinis ipſo facto incurrendæ, ne Parochi quicunque ſint tam Sęculares quam Regulares diebus ex præcepto feſtis proprias Eccleſias ſine Miſſæ ſacrificio vel per ſe vel per alium faciendo relinquant.

Excipimus autem inter rurales quando celebrandum ſit feſtum titulare vel feſtum Dedicationis, quorum vnicum tantum debet eſſe in ſingulos annos pro qualibet Eccleſia vel Confraternitate laicorum. In quo caſu decernimus illius tantummodò Plebanię Parochos, non autem alienæ, in qua ſitæ ſint Eccleſiæ vel Confraternitates, vbi iſta feſtiuitas celebratur, poſſe ad eam Eccleſiam accedere, ibique Miſſæ

Sacrum

Sacrum facere relicta propria, niſi incidat in dies ſolemniores Paſchatis Spiritus Sancti, Omnium Sanctorum, & Dominicę Natiuitatis, præmiſſa ſemper antecedenti feſtiuo die inter Miſſarum ſolemnia notificatione parochianis de huiuſmodi feſtiuitatis occaſione, ad quam cum Miſſæ ſacrificio ſunt acceſſuri.

Commendamus verò quammaximè laudabilem conſuetudinē in aliquibus Plebanijs etiam in iſtis caſibus introductam; ibique in futurum ſeruandam, & vbi non eſt, introducendam eſſe enixè monemus; qua ſcilicet Parochi alicuius Plebaniæ inter ſe viciniores, obligationem perſonalem ſui gregis ſpiritualiter paſcendi conſiderantes, alternatim Sacrū alter eorum in propria Eccleſia, alter in ea, vbi feſtiuitas celebratur, faciunt.

Cap.XXIII. De Tempore Reſidentię, quiq; ad eam teneantur.

DOminus Ieſus Chriſtus de radice Ieſſe virga virtutis ex Sion vigilans egreſſa faſtigio diuinitatis ſuæ, quod Iacob olim fide adorauerat deſcendens de cœlo factuſq; homo nō per Angelos, ſed per ſemetipsū fecit in medio terrę ſalutē. Quod magnum pietatis opus, vt vſque ad ſeculi conſummationem ſe præſente ſeruaret, Petro poſt trinam amoris requiſitionem commiſit iubendo, vt oues & gregem hæreditatis ſuæ propria, non aliena virga nutriret.

Cumque Sancta Mater Eccleſia Diuino Spiritu edocta certiſſimè fateatur, à Beato Petro nedū in Summos Romanoſq; Pontifices cæteroſq; Catholicos Antiſtites, ſed in omnes Parochos & Beneficiarios onus hoc ampliſſimum fuiſſe tranſlatum, poſt veterum Canonum Pontificumq; iuſſiones, plures de Reſidentia eiuſq; tempore pœnis perſoniſq; in Concilio Tridentino ſanctiſſimas edidit Conſtitutiones.

§.1. Quæ autem ſpectant ad Parochos aliaſq; perſonas Eccleſiaſticas Epiſcopis inferiores duæ pręcipue emanarunt; altera habetur ſeſſ. 6. cap. 2. ſequentis ten.

Epi-

EPiſcopis inferiores quæuis beneficia Eccleſiaſtica perſonalem reſidentiam de iure ſiue conſuetudine exigentia, in titulum ſiue commendam obtinentes ab eorũ Ordinarijs, quemadmodum eis pro bono Eccleſiarum regimine & diuini cultus augmento, locorum & perſonarum qualitate penſata, expediens videbitur, opportunis iuris remedijs reſidere cogantur: nulliq; priuilegia ſeu indulta perpetua de nõ reſidendo aut de fructibus in abſentia percipiendis ſuffragentur. Indulgentijs verò & diſpenſationibus temporalibus ex rationabilibus cauſis tantùm conceſſis, & coram Ordinario legitimè probandis in ſuo robore permanſuris, quibus caſibus nihilominùs officium ſit Epiſcoporum tanquam in hac parte à Sede Apoſtolica delegatorum prouidere, vt per deputationem idoneorum Vicariorum & congruæ portionis fructuum aſſignationem, cura animarum nullatenus negligatur: nemini quo ad hoc, priuilegio ſeu exemptione quacumq; ſuffragante:

§ 2. Altera verò ex ipſius Concilij Tridentini pręcepto in omnibus Concilijs Prouincialibus & Epiſcopalibus publicanda, habetur ſeſſ. 23 cap. 1. verſ. Eadem omninò, vbi ea, quæ diſponuntur circa reſidentiam ſuperiorum Prælatorũ, & circa pœnas contra eoſdem non reſidentes, extenduntur etiam ad alios inferiores his verbis, videlicèt.

Eadem omninò etiam quoad culpam, amiſſionẽ fructuũ, & pœnas de Curatis inferioribus & alijs quibuſcumque, qui beneficium aliquod Eccleſiaſticum curam animarũ habens obtinent, Sacroſancta Synodus declarat & decernit; ita tamẽ vt quandocumque eos, cauſa priùs per Epiſcopum cognita & probata abeſſe contigerit, Vicarium idoneum ab ipſo Ordinario approbandum cum debita mercedis aſſignatione relinquant. Diſcedendi autem licentiam in ſcriptis gratiſq; concedendam vltra bimeſtre tempus niſi ex graui cauſa non obtineant. Quod ſi per Edictum citati etiam non perſonaliter, contumaces fuerint, liberum eſſe vult Ordinarijs per Cenſuras, Eccleſiaſticas & ſequeſtrationem & ſubtractionẽ fructuum aliaq; iuris remedia, etiam vſque ad priuationem compellere; nec executionem hanc quolibet priuilegio, li-

centia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cuiuſcumq; beneficij, pactione, ſtatuto, etiam iuramento vel quacumque auctoritate confirmato, conſuetudine etiam immemorabili; quæ potiùs corruptela cenſenda eſt, ſiue appellatione aut inhibitione, etiam in Romana Curia, vel vigore Eugenianæ Conſtitutionis ſuſpendi poſſe. Poſtremò tam Decretum illud ſub Paulo III. quam hoc ipſum in Concilijs Prouincialibus & Epiſcopalibus publicari Sancta Synodus præcepit: cupit enim quę adeo ex Paſtorum munere animarumq; ſalute ſunt, frequenter omnium auribus mentibuſq; infigi; vt in poſterum Deo iuuante nulla temporum iniuria aut hominũ obliuione aut deſuetudine aboleantur.

Nos itaque ſummopere cupientes in tota noſtra Diœceſi à Parochis & à cæteris, qui de iure aut conſuetudine ad reſidentiam tenentur, eam exactè ſeruari: renouamus ea omnia quę in Prouincialibus & Diœceſanis Synodis à Prędeceſſoribus noſtris & à Nobis ad hunc finem ſtatuta ſunt. Et ad tollendas omnes querelarum & ſubterfugiorum cauſas, exemplo Synodi Anni 1610. decernimus, ſtatuimus, atque mandamus, vt

§.3. Omnes & ſinguli Plebani, Priores, Vicarij, cęteriq; Parochi aliarum Eccleſiarum Rectores quocumque nomine nuncupentur, tam Sæculares quam Regulares, quibus animarum cura imminet, quiq; aliqua cauſa prętendunt ſe licitè ab eorum reſidentijs vltra bimeſtre ex Concilij Tridenti forma conceſſum, quæ ſeruetur, abeſſe poſſe, teneantur intra terminum trium menſium preſentaſſe ſe coram Nobis vel noſtro generali Vicario ad deducendum & iuſtificandum in actis quidquid prætendunt. Quod ſi iuſta Canonicaq; erit abſentiæ cauſa, Decretum interponatur à Nobis vel à noſtro præfato Vicario, quo interpoſito & non aliter liceat Rectori durante prędicta cauſa ſic approbata non reſidere, dummodò etiam per Vicarium congrua fructuum portione aſſignata ſi fieri poterit, ſin minus alia ratione in eodem Decreto approbanda & decernenda, animarum curę prouideatur. Qui vero intra prędictum tempus non ſe præſentauerint, & ij quorũ cauſę tanquã friuolę aut minus probatæ reijcientur, niſi intra

tres

tres dies ad eorum reſidentias ſe contulerint, ipſo facto ſuſpenſionem à Diuinis extra propriam Eccleſiam incurrant, cęteriſq; iuris remedijs ad reſidendum qualibet appellatione remota compellantur. Omnes licentias vſque hodiè tam Parochis quam alijs de iure vel conſuetudine reſidentiæ obligatis, aliter quam per Decretum conceſſas, reuocantes.

§. 4. Illos interim in Domino iterum efficaciter monitos volumus, cum ratione ſuorum beneficiorum ad perſonalem reſidentiam & paſtoralis muneris exercitationem teneantur, niſi ex Apoſtolico indulto fuerint contrarium conſecuti, nō ſatisfacere, & conſequenter pœnis in Concilio Tridentino ſeſſ. 23. cap. 1. ſtatutis ſubiacere, quamuis capellanum vel ſubſtitutum pro ſe in cura reſidentem habeant; ideoq; ſciant ſe eſſe obligatos iuxta formam huius Conſtitutionis ad deducendas ſuæ iuſtæ abſentiæ cauſas, & obtinendas à Nobis vel Vicario noſtro per Decretum declarationes, non obſtante in contrarium omni quamuis immemorabili conſuetudine. Contumaces verò, & his noſtris monitis inobedientes, ſuo loco & tempore tanquam non reſidentes, Canonicis & à Concilio ſtatutis pœnis acriter caſtigabuntur.

§. 5. Item curent Parochi, quiqui ſint, vt in domo Eccleſię habitent, vel ſi Eccleſia domum non habeat, in propinquiore intra limites Parochiæ, ſi fructus ſuos facere velint. Abhorreant inſuper prę cæteris, ne Parochiales domos laicis vllo pacto locent.

Cęterùm ex diuino præcepto & ex impoſitis à Concilio pœnis rei grauitatem penſantes, nihil vltra addendum eſſe credidimus, adhoc vt ij potiſſimum qui curam animarum gerunt (exemplo Eliſei qui miſſa virga per Giezim, deprecantis Sunamitidis puerum defunctum ad vitam non reuocauit) ſuis oculis, ſuo ore, ſuiſq; manibus, non alienis, paſtoralē virgam tractantes, accommodantes, incuruanteſq; commiſſum ſibi & aliquando defunctum gregem, hæreditatem Domini, maximè habitantē ſolo in ſaltu, cuſtodiant, foueant & calefaciant, vſque dū diuini amoris flamma in cordibus excitata ad vitā æternā reſurgat, opportuneq; ingratiarū actionē dicere poſſit: Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.

L De

TIT. IV. DE PERSONIS.

EXtrema præcedentis capitis ſanctio, in qua de illis ſtatuitur, qui ad reſidentiam tenentur, ſicut nexum cum præſenti titulo, vbi de Perſonis agendum erit, apertiſſimè præbet; ſic continuationem materiæ fidei tutelam ſpectantis oſtendit.

Quoniam in Eccleſiaſtica Hierarchia vnicuique data eſt gratia (vt inquit Apoſtolus) ſecundum menſuram donationis Chriſti, & ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sāctorum in opus miniſterij in ædificationem Corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionem filij Dei: proptereà cum vnicuique eorum, qui ad hunc ædificationis finem peculiariter vocati Nobisq; ſubiecti ſunt, æqualem modum ſibi datę gratię ad proprios actus exercendos conſtituere intendamus, ita vt intra fines ſibi datos velut vnius corporis membra contineantur; operantem fidem reſpicimus, qua ordinatè æmulemur omnes in illius vnitate meliora chariſmata caritatis.

Statuemus itaque Cap. 1 *De Clericis.*
2. *De Parochis.*
3. *De Regularibus.*
4 *De Monialibus.*
5 *De Medicis*
6. *De Abutentibus Sacra Scriptura & Blaſpemantibus.*
7. *De Examinatoribus, Iudicibus Synodalibus &c.*

Cap. XXIV. De Clericis.

CLericorum appellatione Eccleſiaſticos illos omnes in hac Conſtitutione complectimur, qui per varios Ordines in ſortem Dominicę poſſeſſionis diuerſa à laicorum nomi-

nominatione & numeratione veluti filij Leui ſegregati ſunt. In iſtos, ſi ab Angelo teſtamenti quaſi aurum & argentum purgati & colati, veſteq; nuptiali iuſtitię in Domino noſtro Ieſu Chriſto induti ſint, tanquam in ſpeculum reliqui per fidem in domo Domini habitantes oculos conijcient, ex eiſq; ſument quod imitentur. Nihil enim, inquit Sacroſanctum Concilium Tridentinum, nihil eſt quod alios magis ad pietatem & Dei cultum aſſiduè inſtruat, quam eorum vita & exēplum, qui ſe diuino miniſterio dedicarunt.

§. 1. Tanta auctoritate ſuffulti eiq; omninò inhærentes, Prædeceſſorum noſtrorum noſtraſq; Synodales ſanctiones & peculiaria Edicta ſpecialiter renouando, iubente & adiuuante Domino, fratres & coadiutores noſtros in Sacerdotio, filioſq; in cæteris Ordinum gradibus Nobiſcum huic legi obligamus, quę vitam honeſtate & habitu perfectiſſimè componat. Qua propter iubemus primò omnium Eccleſiaſticorum conſcientias iuxta errorum qualitates grauiter ex Canonum, Conciliorum, & Pontificum diſpoſitionibus onerantes, vt res ſacras quę tam priuatim quam publicè ad officia, ritus, proceſſiones, Sacramentorum adminiſtrationes, & maximè celebrationes Miſſarum ſpectant: ſumma grauitate, modeſtia, deuotione, & pietate pertractent; ita vt nihil ſcurrilitatis, auaritiæ, ſuperſtitionis, vanitatis, indecētię, nouitatis, aut ſcandali in huiuſmodi actibus appareat. Deambulationes, confabulationes, ſtrepitus, & quidquid erga Eccleſias irreuerentiam gignat, omninò & ad ſui & ad laicorum correctionem euitent.

§. 2. Et quoniam eò peruenit Tabacchi vſus; vt quam plurimi Eccleſiaſtici publicè & libere in ſacris functionibus ſacriſq; induti veſtibus, & in ipſo actu Sacri faciendi vel ei miniſtrandi, etiam alternatim inter ſe, imo ex manibus laicorū ſumere non vereantur: ideò Nos hac indecentia quam maximè commoti, inflammatiq; à pijs & timoratis viris, qui ſi nō reſpectu ieiunij frangendi, propter irreuerentiam tamen valde ſcrupolizant & damnant: atq; in hoc maximè confirmati auctoritate Synodi Diœceſanę Canariarū tit. de vit. & honeſt.

Cler'c & duorum Conciliorum Prouincialium à Sacra Cō-gregatione approbatorum, alterius Limenſis 3. act 3 cap 20. alterius Meſſicani 3. lib. 3. tit. 15. §. 13. in quibus ſub lethalis culpę noxa ſumptio Tabacchi ante & poſt Sacrum prohibetur, & ex eo quod audiuimus in aliquibus Germanię Epiſcopatibus ſub pœna etiam Excōmunicationis pariter hunc vetitum fuiſſe Tabacchi vſum; ad tollendam indecentiam omninò prohibemus in ſacris functionibus, puta in Choro dum diuina Officia publicè & in laicorum conſpectibus celebrantur, aſſociationibus proceſſionibus, funeribus, Confeſſionibus audiendis, & ſimilibus, ac vbicumquè publicè induti ſunt ſacris & Clericalibus veſtibus Eccleſiaſtici quicūque tam Sacris quam minoribus Ordinibus initiati, & præcipuè in procedendo ad Sacrum faciendum vel ab eo recedendo, & eo magis in ipſo actu Miſſæ Sacrificium offerendi, vel ei inſeruiendi aut quomodocumque miniſtrandi, ne Tabacchus vllo pacto & modo ſumatur, ſub pœna amiſſionis diſtributionum quas tunc ipſimet lucrarentur: ij verò qui in actu Sacri faciendi ſiue ei miniſtrandi aut inſeruiendi Tabacchum ſumpſerint, vltra diſtributionum amiſſionem in ſingulas vices à Diuinis ipſo facto per decem dies ſuſpenſi ſint. Choriſtis, Sacriſtis, Proueditoribus, Diſtributoribus, Camerarijs, Theſaurarijs, Prioribus, alijſue omnibus alio quouis nomine nuncupatis, ad quos diſtributionum aſſignatio aut ſolutio ſpectat eorum conſcientias grauiter onerando præcipimus ne tranſgreſſoribus conniuendo contra huius Conſtitutionis mandatum ad diſtributiones admittant, aut eas huiuſmodi tranſgreſſoribus nulla etiam præcedente monitione vllo pacto perſoluant &c. non obſtantibus &c.

§. 3. Caſuum conſcientiæ collationem inter Parochos habendam ſemper eſſe iuxta formam à Prædeceſſoribus noſtris & à Nobis potiſſimum in Synodo Anni 1637. tit. 4 traditam, ſub pœnis ibi impoſitis ſeruandam eſſe denuò confirmamus, probamus & mandamus; monentes inſuper omnes Eccleſiaſticas perſonas, vt loca, vbi caſuum conſcientiæ lectio publica vel priuata habetur, frequentent.

§. 4. Extra verò res ſacras præcipimus Eccleſiaſticis quibuſcumque

buſcumque Nobis ſubiectis etiam Regularibus, ne cōmercium & conuerſationem habeant cum perſonis tam maſculis quam fœminis infamibus, aut ſuſpectis, aut inhoneſtis, aut publicè flagitioſis, neque cum eis quamuis ſint ſanguine aut affinitate coniunctæ cohabitent, niſi euidentiſſimè hoc animarum ſalus expoſcat, aut Nobis cum expreſſa licentia non ex tacito conſenſu permittentibus id fiat; famulaſq; ætate graues & iuxta id quod aliàs ſtatutum fuit, ſuo ſeruitio retineant. Tranſgreſſores autem vltra pœnas canonicas ex Cōcilio & aliàs inflictas, grauiores pecuniarias etiam dabunt.

§. 5. Tabernas aut cauponas vel Gręcarios deuitent Eccleſiaſtici, ad eaſq; nonniſi itineris vel hoſpitij gratia aut emēdi ad victum neceſſaria & tunc modeſtè accedant; quod ſi quis in alijs caſibus quam ſupra exceptis, in ciuitate potiſſimum ibi manducando aut bibendo Nobis obedire neglexerit, pro prima vice duorum ducatorum pœnę ſubiaceat, pro ſecunda quatuor: quod ſi pertinaciter per tres vices in tranſgreſſione perſtiterit, ſciat ſe in duplum quoad pecuniarias mulctas, & in ſuſpenſionem à Diuinis per Nos declarandam incurſurum. Pecuniariæ verò caſtigationes pro medietate relatori & executoribus æqualiter diuidentur, reliquum pijs locis tradetur.

§. 6. Cuius Conſtitutionis & pœnarum ſpiritualium vinculo ligamus ſemper etiam rurales quoſcumque tam Sęculares quam Regulares Parochos, potiſſimum verò quando occaſione feſtorum poſt diuina officia prætextu maioris expenſę vitandę, non in Parochiali domo, vel ſi ea forte deſit, in alia priuata & honeſta, ſed in tabernis & publicis cauponis refectionem ſumunt. Debent enim iſti in huiuſmodi occaſionibus vel ſolemnitatem conuiuorum prętermittere, vel ſaltem, vt aliqua ex parte alias ſtatutum fuit, parcam & ſummum in Parochiali vel priuata manſione vti menſa, in qua nullus interſit laicus niſi inſeruientes, aut aliqui ex conſanguineis, vel (quod raro & cautè fiat) duo ad ſummum vel tres viri nobiles, ætate & moribus graues, modeſtè ſe gerentes, & in conuiuio ſeparati ab Eccleſiaſticis ſedentes: cæteri omninò expellantur. Tranſgreſſores ſeueritati noſtri arbitrij

&

& indignationis iuſtè in eos mulctas impoſiturę, ſubiaceant.

§. 7. Perſonati incedere Clerici, quiqui ſint, neque in publicis virorum & fœminarum nocturnis aut diurnis congreſſibus, vt in Synodo anni 1637. ſtatuitur, & in cuiuſuis ſpeciei conuiuijs choreas ducere, ſonare, aut cantilenas amatorias canere ne audeant vllo pacto, tempore, aut prętextu; qui ſecùs fecerit, per decem dies ipſo facto ſit à Diuinis ſuſpenſus.

§ 8. In domibus Parochialibus Eccleſiarum ſibi commiſſarum, congreſſus ſimiles nocturno diurnoue tempore nunquam faciant, nec fieri permittant, ſub pœna ſcutorum duorum admittus in ſingulas vices.

§. 9. Item monemus vt vbi publicè luditur ne verſentur: balneis & fluminis lauacro cautè, honeſte & locis remotis non ſuſpectis vtantur; actus & ſermones inhoneſtos & ſcurriles maximè coram laicis: inania ſpectacula, præſertim laſciuas publicorum Hiſtrionum Comædias: follis aut malei ludum aut alios ſimiles publice ſpectantibus laicis, illicitaſq; venationes quam maximè euitent.

§ 10. A mercatura & negotijs in tota noſtra Diœceſi iuxta Sacrorum Canonum, Pontificum, & præteritorum Conciliorum diſpoſitiones omninò ſe abſtineant, ni pœnas à iure ſtatutas ſeuerè infligendas ſubire velint.

§. 11. Iubemus inſuper, vt aliàs etiam in Prouincialibus Synodis ſtatutum fuit, ne in tota noſtra Diœceſi vllus tam Regularis quam Sęcularis Clericus, aut Eccleſiaſtica perſona Nobis ſubiecta quacumque de cauſa, præcipuè autem in publicis mercatis aut nundinis, aut alijs quibuſuis locis, in quibus laici frequentes conueniunt, arma & potiſſimum haſtata, oblongos enſes, pugiones, ſclopos quoſcumque & ſimilia deferant, abſque noſtra vel noſtri generalis Vicarij licentia ſpeciali, niſi in itinere conſtitutos per loca ſuſpecta & remota eos ire contigerit: tum verò quantum fieri poteſt eadem arma cooperta geſtent. Tranſgreſſores pro qualibet vice & quolibet armorum genere offenſibilium, ſi in die fuerit, iiſdem armis amiſſis, ducatos quinque perſoluant; defenſibilium ſolidos quadraginta vltra armorum amiſſionem: ſi

in

in nocte perdant pariter arma, & florenis decem auri ſententialiter plectantur, iuncto ſemper pro grauitate caſuum arbitrio noſtro. Mulcta autem pecuniaria & armorum amiſſio pro expenſis pro tertia parte relatoribus & exacutoribus, reliquum pijs locis tradetur. Qui autem in ære mulctari nō poterunt, carcere & armorum amiſſione plectentur.

§.12 In eo autem quod Clericorum habitum reſpicit, duo ſunt ſpectanda: *Tonſura* ſcilicèt, & *Veſtes*

ſub Tonſura continentur Barba
Corona
Coma.

Barbę Tonſuram talem eſſe monemus, maximè in ſuperiori labro, vt pili in Sacrificio Miſſæ Sacramentum ſumentem non impediant, nec vllo pacto in Sacratiſſimum ſanguinem intingantur. Prætereà non reddant tam Sacerdotis quā cuiuſuis alius Eccleſiaſtici aſpectum horribilem aut militarem, neque contra effœminatum aut mollem, ſed mitem, honeſtum, grauem, reuerendum: tranſgreſſores verò pœnas Nobis arbitrarias dabunt.

§.13. Corona quæ & ipſa ſæpe Tonſura nuncupatur; in medio capitis ſit, Ordinibus acceptis reſpondens, gradatimque maior, in orbem ducta, conſpicua capillis abraſis, quam ex Cōcilijs Pontificūq; Bullis trāſact; Florentinę Synodi ſtatuunt geſtandam eſſe à cunctis Clericis maximè Sacris initiatis aut Eccleſiaſticis, beneficijs etiam ſimplicibus præditis; præcipuè autem ab illis qui Eccleſijs licet in minoribus conſtituti deſeruiunt, ſub iuridicis pœnis ibi ſtatutis: quę omnia renouamus, confirmamus ſeruariq; mandamus, eo addito quod infra in diſpoſitione circa Veſtes ſtatuetur.

§.14 Præ cæteris verò ij Sacerdotes indignationem noſtram ſentient, qui ſine hac Corona vel Tonſura conſultò aut maxima negligentia Miſſæ Sacrificium offerent: quos tunc in ſingulas vices arbitrariè ſed acriter vſque ad ſuſpenſionem incluſiuè caſtigabimus

§.15 Clericorum Sęcularium Comę Tonſura in Conſtitutionibus Vrbeis à Summo Pontifice Leone X. confirmatis rub. 1. cap. 1. §: cum regula, ſic præfinitur: *Et Tonſuram decentem*

decentem ferent, ita quod ſaltem extremitas inferior auris appareat diſcooperta.

In Synodo Anni 1619. tit. 8. cap 1. § 3. damnatur omninò iuxta Sacros Canones nimius in coma nutrienda cultus, & ad hoc magis ſuadendum allegantur Gregorij IX. & Alexandri III. iuſſiones, vt Clerici etiam inuiti à ſuis Archidiaconis tondeantur, & tranſgreſſores excommunicentur. Hæc Nos cum Edictis & Legibus de hac re agentibus laudamus, probamus, confirmamus, & quantum fieri poteſt ſeruari mandamus, vt ij omnes qui pro Diuino amore ad tōdendum aliquando capitum ſuorum comas feſtinauerunt, recipiant Spiritum Sanctum, qui habitum religionis in eis perpetuò conſeruet.

§. 16. Declaramus autem menſuram tonſionis Comæ ſuprà ſtatutam eſſe ſeruandam, non modò vt extremitatem aurium detegat, ſed etiā ne in temporibus & in occiptio lōgius producatur, neque vllo pacto collare etiam ceruicis partem reſpiciens cooperiat. Qui ſecus fecerit, & hac noſtra Conſtitutione monitus non reſipuerit, omni perſonarum acceptatione remota vltra canonicas animaduerſiones diſtributionū, fructum, beneficiorum, & priuilegij fori, in arbitrarias vſque ad ſuſpenſionem incluſiuè à Nobis declarandam incidet, vt infrà etiam diſponetur,

§. 17. Quoniam verò peculiare Edictum de his rebus edidimus 18. Februarij 1637. ad robur illi augendum, & vt iuxta declarationem huius Conſtitutionis obſeruetur: ideò hic illud ad verbum poſuimus.

Piero Niccolini per grazia d'Iddio, e della Santa Sede Apoſtolica Arciueſcouo Fiorentino.

AVendo Noi per iſperienza viſto con gran trauaglio dell'animo noſtro, che non oſtante li buoni ordini dati da Noi e dalli noſtri Predeceſſori, tanto per i Sinodi celebrati quanto per publici Editti circa la vita, oneſtà, e veſtire delli Sacerdoti e Cherici della Città e Dioceſi noſtra, e ancora' circa il non ammettere alla celebrazione della Meſſa Sacerdoti fore-

foreſtieri ſenza licenza noſtra ò del noſtro Vicario ſotto le pene impeſte ne detti Sinodi e Editti reſpettiuamente, non ſia ſeguita moderazione ò poca, anzi in alcune coſe creſciuti gli abuſi: Perciò in virtù del preſente noſtro Editto ſtanti fermi gl'ordini contenuti in detti Sinodi e Editti, e conformandoci ancora all'Editto fatto e publicato nella Città di Roma ſotto di 9 Gennaio proſſimo paſſato di commeſſione e mandato dell'Eminentiſſimo Cardinale Fr Antonio Barberini Prouicario generale della Santità di Noſtro Signore ordiniamo à tutti li noſtri Sagreſtani e Rettori tanto della noſtra Metropolitana quanto di qualſiuoglia altra Collegiata e Parrocchiali Chieſe, Oratorij, Confraternite, Spedali, & altri luoghi pij tanto Secolari quanto Regolari, che in auuenire non ardiſchino ammettere alcun Sacerdote à celebrar Meſſa nelle Chieſe, Oratorij, e Confraternite, li quali non ſieno in abito talare, ſenza ricci: zazere ò capelliere, e con apparenti Tõſure, e quanto à Sacerdoti foreſtieri ſenza eſpreſſa licenza ſottoſcritta da Noi ò dal noſtro Vicario, ſotto pena oltre a quelle contenute ne detti Sinodi & Editti altra volta pubblicati (quali tutti innouiamo) di ſcudi dieci quanto à Sagreſtani, Rettori, e miniſtri delle Chieſe, Oratorij, Spedali, Confraternite, e altri luoghi pij anche ſecolari, nella quale s'intẽda eſſer incorſo ciaſcheduno de ſopradetti per ciaſcuna volta ipſo facto applicati à luoghi pij, e della priuazione delli offizij à noſtro beneplacito.

E in oltre proibiamo à medeſimi che ſotto qualſiuoglia pretesto non permettino che ſi cantino infra i diuini offiz altre compoſizioni ò parole ſe non quelle latine conformi alla Sacra Scrittura ſenza altra mutazione di eſſe paro e ſotto le medeſime pene. Auuertendo in oltre tutti quelli che in auuenire vorranno eſſer promoſſi tanto alli Ordini minori quanto a maggiori, che non compariſchino auanti di Noi con ricci ò zazere, ma con abito decente e tonſura patente: altrimenti non ſaranno da Noi ordinati ne meno conceſſe loro lettere dimiſſorie.

Comandando à tutti li ſopradetti che tenghino affiſſo il noſtro preſente Editto nelle lor Sagreſtie, e in luogo che da

M tutti

tutti poſſa eſſer viſto e letto. Dato in Firenze nel noſtro Palazo Archiepiſcopale il dì 18 Febraio 1637. ab Incarnatione.

Piero Niccolini Arciueſcouo di Firenze.

Ioſeph Barnius Cancell. de mand.

§. 18. Declarantes quo ad pœnam ſcutorum decem à Sacriſtis & alijs vt ibi incurendam ſi quando comperiemus eos quantum penes ſe erit muneri ſuo ſatisfeciſſe, Nos illam in transgreſſores côuerſuros, & executioni demandandam iuſſuros omni meliori modo renouantes, confirmantes ſeruariq; mandantes

§. 19 Porrò veſtes Clericales ſunt in duplici differentia: aut enim quotidianum & continuum vſum reſpiciunt, aut ſacrum. Quę continuum & quotidianum, ante primam Tôſuram vel ſine noſtra vel noſtri generalis Vicarij licentia in ſcriptis obtinenda à quouis ſumi non debent: contrafacientes nullo priuilegio fori gaudebunt; & vlteriùs illi qui ſemel eis ſuſceptis ſine ijſdem licentijs veſtes depoſuerint, coercitionibus ſubiacebunt. Hæ veſtes, niſi aliter Eccleſiaſticæ dignitates expoſcant, ſint tantum nigri coloris, nec nimia aut exquiſita elegantia ſplendeſcant, vel affectata negligentia aut pannoſo ſquallore ſordeſcant.

§. 20. Toga quæ vulgo *Sottana* dicitur maximè in ciuitate diurnis horis, non Epitogio, ideſt Zimarra, vtantur Clerici, ſitq; talaris extra domum, breuior permittitur in itinere, aut ruri commorantibus, quæ tamen infra genua producatur: ſintq; & talaris & breuior vndique clauſæ, vt in rubeis Conſtitutionibus ſub 1. cap. 3. decernitur; ita vt caligæ aut femoralia (quæ nigri modeſtiue alterius coloris ſemper ſint) licèt exterius indumentum aperiatur, quoad fieri poteſt nullatenùs appareant, arbitrariè autem tranſgreſſores & acriter punientur.

§. 21. Omnes autem Eccleſiaſticæ perſonę quantumcumque exemptę, quæ in Tridentini Concilij diſpoſition. ſeſſ. 14. cap. 6. & in Bulla Sixti V. anni 1589. Idibus Ianuarij cum

ſua

ſua declaratione comprehenduntur, niſi noſtræ huic Conſtitutioni, quam loco Edicti publici ab eodem Concilio requiſitu habendam volumus, paruerint, veſteſq; reſpectiuè vt ſupra & Tonſuram in coma diurno nocturnoue tempore in ciuitate vel extra publicè exeuntes non detulerint: vltra ſuis locis appoſitas pœnas, amittent vt ſuprà fori priuilegium, diſtributiones, & fructus ſuos non facient, & ſuſpenſionem ab Ordinibus ex noſtra declaratione incurrent.

Qua propter ex rubeis Conſtitutionibus rub. 1. cap. 4. (quas ſpecialiter in hoc renouamus) notum facimus, & iubemus omnibus Capitulis, Collegijs, Syndicis, Camerarijs, diſtributoribus, punctatoribus, & alijs ad quos ſpectat diſtributionum aſſignatio, aut ſolutio, ne præfatis ſic ſine Clericalibus veſtibus, & tonſura incedentibus diſtributiones aſſignent aut ſoluant, donec eas reſumptas continuè per Ciuitatem, & extrà, publicè maximè in Eccleſijs portauerint.

§. 22. Inſuper monemus iuxta declarationes Sacræ Congregationis, armillas, monilia, & anulum ne deferant Clerici: niſi anulum vnum, nec magni pretij propter Doctoratus & dignitatis gradum ijs, quibus conceſſum eſt, quem Sacrum facturi deponant.

§. 23. Extremę ſubucularum partes ad manus aut ad collum prominentes ſimplices ſint, potiſſimum collare quod modicè latum appareat, ac ità honeſte reclinatũ, vt in ſuperponendo amictu, vel alijs ſacris veſtibus, quando Sacrum ſit faciendum, amoueri minimè debeat: quod ſi aliquando id fieri contingat, ità cautè fiat, vt à nemine Sacerdos celebraturus ſine collare conſpiciatur; quod indecens ſpectaculum quoniam in ſacriſtijs frequenter eueniſſe percepimus, etiam atque etiam in Domino tranſgreſſores commonemus vt in futurum tollant, ſi arbitrarias caſtigationes ſubire nolint.

§. 24. Veſtes autem quę ad ſacrum vſum ſpectant & ipſæ ſubdiuiduntur: aliquæ enim appellari ſolent Clericales ſimpliciter, aliquæ Sacræ.

Clericales, quę nunquam exigunt benedictionem, ſunt: Habitus Canonicalis, Rocchettum, Mantelletta, Superpelliceum ſeu Cotta, Gutus, Almutium ſiue Barulus birettum. Quibus

 reſpectiuè

reſpectiuè in publicis Eccleſiaſticis ſacriſq; functionibus debet vnuſquiſque Clericus indui.

§. 25. Habitu Canonicali ſupra Rocchettum vel Superpelliceum, & Bireto vti debent Canonici, iuxta formam ex indultis à Sancta Sede Apoſtolica ſibi traditam.

§. 26. Rocchetto & deſuper Mãtelletta veſtiendi sũt Protonotarij Apoſtolici, & alij ſi qui ſunt, quibus Summi Pontificis conceſſione huiuſmodi delatio permittitur in ijs locis & actibus, in quibus de iure ſibi conceditur. Cæteri, omni quauis immemorabili conſuetudine non obſtante, Rocchettum nullo pacto, tempore, aut loco deferre in tota noſtra Diœceſi, ni plecti ſeueriſſime velint, vnquam audeant.

§. 27. Pretereà tam Canonici quam Protonotarij & alij Priuilegiati vt ſupra nunquam Rocchetto aperto vtantur, & apertum intelligitur, licèt deſuper ſit Almutium aut Mozetta. In Sacramentorum adminiſtratione pro Superpelliceo etiã ſupradicti nunquam Rocchetto vti debent, ſed ſemper ab omnibus Superpelliceum ad minus iuncta Stola, vt ſuis locis ex Rituali ſupra ſtatuitur, adhibendum eſt. Canonici tamen ad audiendas Confeſſiones ſuo poſſint Canonicali habitu accedere.

§. 28. Monemus inſuper omnes illos, qui titulo Protonotariatus decorati ſunt, vt in ijs publicis actibus in quibus inuitantur vel comparere tenentur tanquam Plebani, Priores, Rectores aut ſimplices Presbyteri vel Clerici, eaſq; perſonas in eodem ordine cum alijs non Protonotarijs repræſentare; ad tollendas omnes rixarum cauſas, & iuxta laudabilem & inueteratam conſuetudinem non compareant cum Rocchetto & Mantelletta, ſed cum illo Eccleſiaſtico habitu, qui perſonæ repræſentandæ reſpondet. Quę omnia maximè cunctis in memoriam reuocamus ex auctoritate à Sacra Congregatione Prædeceſſori noſtro peculiaribus literis pleniſſimè conceſſa ſubdie 17. Martij 1629

§. 29 Plebani Bireto, Superpelliceo & Almutio violaceo iuxta conſuetam & decentem formam & menſuram in ſacris & publicis functionibus, vt in Synodo Anni 1619. & 1637. ſemper vtantur, ſub pœna tranſgrediendo duorum ducatorũ in ſingulas vices.

§. 30. Prio

§. 30 Priores tam rurales quam ciuitatis ad maiorem decentiam & ordinis diſtinctionem Bireto, Superpelliceo, & Almutio nigro vel circa collum vel ſuper alterum humerũ ſeruata conſuetudine in ijſdem publicis, vt ſupra, functionibus, & ſub ijſdem pœnis induantur. Quod nigrum Almutium ſupra Superpelliceum cum Bireto alij etiam deferre poſſint, & eo modo quo conſuetudo permiſit.

§. 31. Qui vero vltra Biretum & Superpelliceum habent pelliceum Guſum vel aliquem alium habitum, quo à cæteris diſtinguuntur; cõſuetudinem abſque minima inobſeruantiæ læſione intemeratam ſeruent, ſub pœnis inter eos ſtatutis.

§. 32. Cœteri omnes Clerici nulla alia ſpeciali Eccleſiaſtici habitus nota inſigniti, in Sacris & publicis fũctionibus Eccleſiaſticis, ad hoc vt pœnis duorum ducatorũ pro qualibet vice alias firmatis non ſubijciantur & diſtributiones lucrentur, geſtent ſemper Biretum & Superpelliceum.

§. 33. Rurales autem Eccleſiaſtici, quiqui ſint, maxime caueant, ne tunc pileis contextis ex palea vtantur, ni duos ducatos pro pœna ſoluere velint.

§. 34. Vetamus inſuper cunctis Clericis Nobis ſubiectis ſiue in minoribus ſiue in maioribus Ordinibus conſtitutis ſub pœna pariter duorum ducatorum in ſingulas vices, æquis portionibus relatori, executori, & pijs locis diuidendorũ, ne per ciuitatem vel extra eam Superpelliceo vel ſimili Eccleſiaſtico habitu in ſacris functionibus adhibendo induti extra Eccleſiã eant, niſi in proceſſionibus vel ad aliud officium Eccleſiaſticum obeundum, non autẽ ad actus profanos exercendos; omni contraria etiam immemorabili conſuetudine non obſtante.

§. 35. Debent autem Eccleſiaſticæ veſtes ſupra enumeratæ ſemper eſſe mundæ, decentes, nunquam laceræ; eoq; magis aliæ quę ſacrę appellantur & benedictionem vt plurimum requirunt, vel à Nobis vel ab eis, quibus Nos facultatẽ huiuſmodi delegauimus Quę ſicut in Altaris ſeruitio & ſacris miſterijs ſunt adhibendæ, ſic vltra munditiã, decentiam, & integritatem, debent eſſe coloris officio vel Miſſæ reſpondentis, vt in Rubricis Miſſalium & Ritualium legitur; quarum

ſtudio,

ſtudio, abſque eo quod Nos hoc loci cuncta repetamus, ij debent omninò Eccleſiaſtici applicari, qui zelo diuini cultus commoti ritè ſacras res, vt par eſt, tractare deſiderant.

Hæc fuſius de Clericalibus indumentis diſpoſuimus: quoniam licèt, vt Sacrum Tridentinum Cōcilium in Canone inquit, habitus non facit Monachum; attamen euidentiſſimè conſtat in lege veteri prænunciatrici Euangelicę omnipotenti olim Deo maxime Sacerdotalium veſtium pręparationem cordi fuiſſe. Quapropter ore proprio ſic Moyſi iuſſit: Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filijs ſuis de medio filiorum Iſrael, vt Sacerdotio fungantur mihi Aaron, Nadab, & Abiu, Eleazar, & Ithamar, facieſq; veſtem Sanctā Aaron fratri tuo in gloriam & decorē, & loqueris cunctis ſapientibus corde, quos repleui ſpiritu prudentię, vt faciant veſtes Aaron, in quibus ſanctificatus miniſtret mihi. Contraque per Sophoniam minitatus eſt: Viſitabo ſuper omnes qui induti ſunt veſte peregrina. Sicque Rebecca Eccleſiæ ſymbolum, ſecūdogenito Chriſticolę gentis imaginem præſeferenti, Patriarchæ Iſaaci ſemper antea ad cuncta ſigna ambigui ſecurius benedictionem non acquiſiuit, quam cum veſtibus Eſaù primogeniti Hebraicum populum repræſentantis & veſtibus valdè bonis Iacobum induit; ſtatim enim vt ſenſit veſtimentorum illius fragrātiam benedicens illi ait: Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.

Et Nos itaque iure optimo ex hoc, cum arua noſtrę Diœceſis culta & bonis exemplis repleta ſeruari ſummoperè cupiamus, ſpem ex Eccleſiaſticorum habituum decentia concipere maximam poſſumus, vt per eos ſuauitatis odore diuino Numini dato ros de cælo & imber affluentiſſimus æternę benedictionis ab immenſa Dei omnipotentis largitate ſuper capita noſtra deſcendat, effugianturq; propterea maledictiones & pœnę, quibus Stephani lapidatores veſtes ſecus pedes Sauli deponendo, in ſtridore dentium excruciati ſunt: & illius qui ſine veſte nuptiali in conuiuium ingreſſus ad inſtar faſciculorum euulſæ zizaniæ ligatis manibus & pedibus, in exteriores tenebras ignis æterni, vbi erit fletus & ſtridor dentium, eiectus eſt.

Cap.XXV.

Cap.XXV. De Parochis & eorum præcedentijs.

§.1. CVm paſſim per vniuerſam Synodum varia ſint de Parochorum muneribus conſtituta, ſuperſitq; tantummodò materia præcedentiarum, quam remotis omnibus appellationibus Epiſcopis componenda Tridentinum Concilium remiſit ſeſſ. 25. cap. 13. ideo Nos ei inhærendo ad tollendas rixarum occaſiones, quę vaniſſimis hiſce de cauſis inter Plebanos & alios noſtrę Diœceſis rurales Parochos oriri frequenter ſolent, declarando Synodalem 1637. tit. 15. de habit. & preced Cleric verſ. ad tollendas pag. 23. decernimus tam Plebanos quam Priores & Rectores, & alios quoſcumque Parochos noſtræ Diœceſis in poſterum poſſe tam occaſione feſtorum quam exequiarum cæterarumqua functionum in proprijs & ſibi commiſſis Eccleſijs per ſe ipſos munus adimpiere; & ſi quando nolint vel ſi ſit impediti, aut vrbanitatis gratia, quod maximè commendamus, velint inuitatos Sacerdotes, vt frequenter fieri ſolet, in huiuſmodi fũctionibus honorare, iuridicus ordo ſeruandus erit; ita vt primo loco ius canendi, benedicendi &c. Plebano competat, ſi ipſe adſit aut velit, eoq; abſente aut nolente, Priori primum, poſtmodùm antiquiori & ſic de cæteris; niſi in Plebanatu aliqua Parochialis Eccleſia, quę gaudeat aliquo indulto aut ſpeciali priuilegio, aut antiqua conſuetudine in præcedēdo alijs in ſimilibus functionibus.

§. 2. Declaramus inſuper Capellanos ſubſtitutos licèt viceplebanos, viceprior s, vicerectores vocatos, tam a Plebanis quam a Prioribus vel a cęteris Rectoribus mitti ſolitos, etiam in Eccleſia propria illius, cuius vicem gerunt, nullum habere ius præcedendi alijs perſonaliter accedentibus, ita in caſibus in quibus ſub aliqua pœna intereſſentia præcipitur ijs quos repræſentant, poſſe repræſentatorum perſonam gerere, non ad ius honorificũ pręcedentiæ conſequendæ, ſed ad effectum pœnę ſolummodò vitandę.

§. 3. Excipiuntur tamen ab hac regula ij caſus, in quibus vltra Superpelliceum & Biretum ipſi Capellani ſubſtituti vt ſupra comparere tenentur cum Stola, in quibus ipſi locum ſui

repię-

repręſentati pręcedentiam habebunt; puta in aſſociationibus defunctorum, quando vel extra Parochiam illius quem repræſentant exportantur, vel ad eamdem afferuntur, iuxta id quod in Prouinciali Florentina Synodo 1573. rub.47. cap. 2. de funer. diſponitur.

§.4. Pręterea quoniam in eadem Conſtitutione Synodi 1637. v rſ. item prohibet, Plebanis vetitum fuit ne Parochos alterius Plebanię ad feſtum quodlibet vel ad funera vel ſimilia celebranda inuitarent, niſi prius conuocauerint & inuitauerint Parochos & Rectores ſuæ Plebaniæ: addimus modo hanc prohibitionem reciprocè amplecti pariter debere Priores, Rectores, & quoſcumque Parochos.

Sed puderet iam, diù in hac Phariſaica imo luciferina præcedentiarum vanitate commorari. Agite ergo reſiſtamus fortes in fide, vt non vituperetur miniſterium noſtrum. Dominus Ieſus Chriſtus æterni Patris ſapientia doceat nos hæc terrena deſpicere & amare cœleſtia, pro quorum comparatione nec vlla primatus contentio, nec ſediũ præcedentia curanda eſt. Hoc cribro peſſimo ſuperbię cribrat nos fratres conſacerdotes quaſi frumentum noſtris ad inuicèm manibus Satanas, vt inflati contra proximum eleuemus calcaneum noſtrum At nos diuinis monitis eruditi, factiq; granum frumenti mortificati, amplectamur concupiſcentis animi humilitate nouum & maximum caritatis mandatum, quo diligamus inuicem ſicut dilexit nos Deus, filium ſuum vnigenitum dando, qui non rapinam arbitratus eſſe ſe æqualem Deo, vti erat, ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, & habitu inuentus vt homo, factus obediens vſque ad mortẽ, mortem autem crucis; in qua ſecurè, non in huius ſæculi præcedentijs, Sacerdotes gloriari oportet: ita vt de cæteris nemo Nobis moleſtus ſit.

Cap XXVI. De Regularibus.

QVamuis Decreta Synodalia pro illis tantum ſancita principaliter intelligantur, qui locorũ Ordinarijs ſubditi ſunt: attamẽ ne ex ijs quæ optimo noſtræ Diœceſis

regimini

regimini adiumento eſſe poſſunt, aliquid deſideretur; hæc iuxta Sacrorum Canonum ac Conciliorum ſanctiones, & Pōtificum Sacræq; Congregationis Conſtitutiones & Decreta, in Regularium mentem reducere operæ pretium duximus.

§. 1. Primò itaque in Domino hortamur, vt ſemper ante oculos habeant tum Sacri Concilij Tridentini Decreta, tum Summorum Pontificum Bullas Sacręq; Congregationis declarationes, necnon huiuſce noſtrę Synodi Diœceſanę Conſtitutiones, illas præſertim quæ ad curam animarum & ad Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, in quibus quin Nobis licet aliàs exempti ſubijciantur, non eſt ambigendum. Conſt. Gregor. XIII. 1584. Gregor XV. 1622. Decif. Sacr. Congreg. 1623. & 1627. Pręcipuè autem in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ.

§. 2. Secundò ne præſumant Monialium etiam ſibi ſubiectarum Confeſſiones neque ordinarias neque extraordinarias excipere ſine expreſſa licentia & approbatione noſtra vel noſtri Vicarij ſub pœna nullitatis Confeſſionis &c. etiam ſi Generales illius Ordinis ſint cuius ſunt Moniales, & etiam ſi ſint approbati ad Laicorum Confeſſiones; quinimò etiam ſi approbati eſſent pro vno Monaſterio non censētur approbati pro alio, nec extraordinarius pro vna vice approbatus poteſt pluries eaſdem audire. Conſtit. Gregor. XV. 1622. declarat. Sacr. Congreg. 1623. & 1627. 13 Septembris.

§. 3. Tertiò in Domino pariter admonemus, ne quouis prętextu ad colloquēdum accedant ad Monaſteria Monialiū etiam ipſiſmet Regularibus cuiuſuis Inſtituti, Ordinis ac militiæ exiſtant, etiam Hoſpitalis S. Ioannis in Hyeruſalem ſubiectarum, ſine licentia a Nobis vel a Vicario noſtro in ſcriptis obtinenda, ſub pœna priuationis vocis actiuæ & paſſiuæ, omnium officiorum ipſo facto, imò etiam peccati mortalis. Sacr. Congreg. 1. Iulij 1606. Conſtit. Sixti V. 1590. Decret. Congreg. Epiſc. 14. Martij 1617. Conſt. Gregor. XV. de exempt & priuil

§. 4. Quartò ſciant quod ſicut illis non fas eſt Sacram Euchariſtiam publicè populo adorandam etiam in proprijs Eccleſijs proponere, ſine noſtra vel Vicarij licentia. Sacr. Con-

N greg.

greg. 27. Maij 1603. & 26. Februarii 1628. Synod. 1637. tit. 19. pag. 27. ita & in Eccleſijs noſtræ iuriſdictionis ſine licentia, & in proprijs abſque noſtra benedictione non poſſunt concionem habere. Conc. Trid. ſeſſ. 5. cap. 2. Gregor. XV. 1622.

§. 5. Indulgentias verò publicare, ac alicuius familiæ paupertatem ad effectum captandę eleemoſinę ſine noſtro vel Vicarij conſenſu euulgare, eſt omninò illis prohibitum. Congreg. Epiſc. 8. Maij 1602.

§. 6 Quod autem Regulares etiam in ſuis Eccleſijs nullo modo ac exēptionis prętextu poſſint ſine debitis licentijs & dimiſſorijs admittere vagos ignotoſq; Sacerdotes ad ſacrū faciēdū, illos maximè qui nō deuotionis gratia ſed eleemoſinæ cupiditate Sacra peragere petunt, deciſum cum Trid. ſeſſ. 23. cap. 16. referunt DD. apud Barb. allegat. 21. n. 8. & in varijs Sacræ Congregationis declarationibus, quarum vnam ſpecialem pro hac noſtra Diœceſi inſtante Prædeceſſore noſtro in noſtra Archiepiſcopali Cancellaria ſeruamus, in qua ſic habetur. Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum cenſuit non licere Regularibus in ſuis Eccleſijs ad celebrandum admittere Presbyteros Sęculares contra prohibitionem Archiepiſcopi.

§. 7. Cæterùm quoad obſeruantiam Bullæ Gregorij XV. iuxta Sacræ Congregationis declarationes, circa Confeſſores & adminiſtratores Monaſteriorum etiam ſibi ſubditorum delinquentes plectendos; quoad ea quæ ſunt ordinis Epiſcopalis, editionem ſcilicet librorum, imagines inſolitas, miracula, reliquias; quoad feſtorum à Nobis indictorum obſeruantiam; quoad reliquias & miracula; quoad officij celebrationem: quoad publicationem & obſeruationem Cenſurarum; & in materijs funeralium, proceſſionum, præcedentiarum, aut ſimilium, ac in omnibus alijs, in quibus anctoritati noſtrę à Sancta Sede Apoſtolica ſubiecti ſunt: nihil repetendum eſſe vlteriùs credidimus, ſed prout de iure à cunctis Regularibus ſeruanda in futurum ſperamus: ita vt in tota noſtra Diœceſis nulla appareat morum & voluntatum diſcrepantia, ſed abſolutiſſima concordia, qua cum Apoſtolo gloriemur de bono quod vnitas non in habitatione tantummodò, ſed in actionibus affert.

Cap.

Cap. XXVII. De Monialibus.

LIcèt præteritarum Synodorum legibus Sanctimonialiũ religio in tota noſtra Diœceſi coruſcet inſigniter: attamen quoniam Sponſis Ieſu Chriſti ex millibus electis eiq; ſoli fidem ſeruantibus, optimorum inſtitutorum auxilium prębere denuò flagrãtiſſimè cupimus, vt Virgines Agnum quocumque ierit ſequi poſſint, infraſcripta ſtatuere opportunũ eſſe credidimus.

§. 1. Primum itaque ea omnia exactiſſime ſeruari iubemus, quæ ſtatuta ſunt à Sacroſancto Concilio Tridentino, à Summis Pontificibus à Sacra Congregatione quibus inhæremus, & à præteritis Prędeceſſorum noſtrorum noſtriſq; Synodalibus & Edictalibus Conſtitutionibus, quas renouamus & confirmamus.

§. 2. Omnes Moniales cuiuſcumque ordinis ſint, exceptis ijs quæ ſpeciali priuilegio id fuerint legitimè conſecutæ, non titulo *Donna* qui vanitatis & ambitionis notam forſan includit, ſed *Suora*, qui caritatem oſtendit, publicè priuatimq; appellentur, ni velint arbitrariè plecti: habetur hæc diſpoſitio apud Barb. de iure Eccleſ. in vniuerſ. lib. 1. tit. 44. n. 65. ex Sacrę Congregationis iuſſu 9. Ianuarij 1595.

§. 3. In memoriam etiam reuocamus eiuſdem Sacræ Congregationis Decretum Anni 1620. quo prohibetur ne cantu figurato ſeu muſicali Moniales quęcumque publicè cantent: quod ſolum vt inter ſe & priuatim in Monaſterio faciant, permiſſum eſt.

§. 4. Ideoque ſummoperè animaduertere debent, ne occaſione ingreſſus in Monaſterij clauſuram ex Põtificio indulto fœminarum Sæcularium, repræſentationes, comoedias, cantus, & ſimilia illis exhibeant, nec exutæ proprijs regularibus indumentis, virorum aut mulierum Sæcularium aut quomodolibet alienis etiam ſacris veſtibus indutę coram ipſis cõpareant; ſed Apoſtolicarum literarum forma ſeruata permittant ſolum vt conuerſari, reſici, & commorari ſimul poſſint, non autem pernoctare nec in cellis peculiaribus Monialium ingredi, præter illarum quas viſitare intendunt, niſi contrariũ

in Breuibus ſit expreſſum. Inobedientes arbitrio noſtro plectantur.

§. 5. Quam arbitrij animaduerſionem ſubeant etiam quãdo repręſentationes & ſimilia, quæ per annum recreationis gratia inter ſe gerunt, Moniales etiam Regularibus ſubiectę ſub quouis prętextu facerent in conſpectu tam maſculorum quam fœminarum, laicorum aut Eccleſiaſticorum Regularium, licèt ſint Gubernatores, Confeſſarij, Priores, Procuratores, Capellani, coloni, factores, operarij ipſius Monaſterij, non ſolum quando in clauſura ſunt, ſed etiam quando ad crates & portas quaſcumque Monaſterij exiſtunt. Præfectarum verò quarumcumq; conſcientias ſub præcepto ſanctæ obedientiæ oneramus, vt ad obſeruantiam huius noſtræ Conſtitutionis inuigilent, niſi & ipſæ ſeueriſſimè puniri velint.

§. 6. Non ſolum autem in prædictis caſibus & ſub iiſdem arbitrarijs pœnis vigilantiam Præfectarum requirimus, ſed etiam in ijs quę infra ſtatuentur, expreſſe & diſtrictiſſimè vetando iuxta id quod à Prędeceſſoribus noſtris Sacræ Congregationis ordinibus inhærendo decretum eſt; ne Moniales quæcumque nec ſub quouis pretextu, nec ad breue tempus, etiam ſi fuerint Sæcularium mulierum aut puellarum quocumque titulo inter eas commorantium, canes & ſymias cuiuſcumque ſpeciei aut ſimilia animalia vel introducant, vel retineant in Monaſterijs.

Gubernatoribus autem, Confeſſarijs, & alijs quibuſcumq; ad quos Monaſteriorum cura quomodolibet ſpectat, rigoroſiſſime præcipientes, ne hunc abuſum vllo pacto temporeue permittant: ſed Moniales vnuſquiſque ſibi ſubiectas ſeueriſſimè increpent & frequenter admoneant. Nos verò contra inobedientes peculiaribus animaduerſionibus eſſe proceſſuros indicimus vſque ad priuationem vocis actiuę & paſſiuæ, & Veli quando contumaces cum ſcandalo permanſerint.

§. 7. Præterea, ſicut in Prouinciali Florẽtina Synodo Anni 1573. ſpecialiter & ex parte decernitur, iiſdẽ Præfectis & alijs quibuſcumq; Monialibus eodem modo pręcipimus, ne permittant intra clauſuram Monaſterij colonis aut quibuſuis alijs quacumq; de cauſa cibum aut potum dari vel afferri a

Monialibus, ſed ſtatim rebus aſportatis iumentiſq; exonerạtis, extra clauſuram exire cogantur, non obſtante etiam in contrarium omni quacumque etiam immemorabili conſuetudine, vel omni nedum generali ſed etiam peculiari à Prædeceſſoribus noſtris vel à Nobis ore tenus aut in ſcriptis facultate conceſſa, quas reuocamus, caſſamus, & nullas in poſterùm eſſe declaramus.

§. 8. Sub qua prohibitione comprehendimus etiam factores, colonos, & operarios, fabros lignarios, ferrarios, murarios, & alios quoſcumque, qui in eadem clauſura ordinariè vel extraordinariè ad longum ſiue ad breue tempus laborent; quibus extra dictam clauſuram per rotam quoad fieri poteſt, non ex ianua cibus & potus neceſſarius, non ſuperfluus tradatur. Quod ſi ſecus factum fuerit, cibum videlicet aut potum intra ſepta Monaſterij tradendo, intelligantur illicò in clauſuram Monaſterij ingrediendi licentiam amiſiſſe.

§. 9. In memoriam reuocamus Sacrę Congregationis iuſſiones, quarum virtute Monialibus tam Nobis quam Regularibus ſubiectis imperamus, vt loca ſeparata in Monaſterijs habeant, quorum alterum nouitię, alterum educandæ puellæ habitent, ſeruenturq; cœtera omnia quæ in ijſdem licētijs enumerantur. Inobedientes verò ſciant clauſulas illas à Nobis, vel à Vicario noſtro in licentiarum ſubſcriptionibus apponi ſolitas (*ſeruati gl'ordini ſoliti, e le coſe da oſſeruarſi*) aut alias ſimilis tenoris, importare nullitatem facultatis; ita vt in caſibus inobſeruantię pro non conceſſa haberi velimus.

§. 10. Educandæ verò puellæ quando extrà Monaſteria exeunt, vt in ijſdem Sacræ Congregationis licentijs ſupponitur, vel ex noſtra vel noſtri Vicarij ſaltem notitia, peculiariter à Cancellario noſtrę Archepiſcopalis Curiæ in libro ad notanda, id faciant, ne in poſterum in nouis ingreſſibus repulſam à facultate denuò habenda tranſgreſſores experiantur.

§. 11. Peculiariter renouamus conſtitutionem Synodi anni 1610. confirmatā anno 1619. præcipimuſq; omnibus Abbatiſſis, Prioriſſis cœteriſq; Monaſteriorum Præfectis, in quibus puellæ educationis gratia aſſeruantur, vt cum ad eorum notitiam peruenerit aliquam ex prędictis puellis ſponſalia

con-

contraxiſſe, vel eius nomine fuiſſe contracta, amplius illam in ſuo Monaſterio commorari non patiantur, nec vllo pacto tollerent præter vnam, aut ad ſummum alteram diem; quo tempore eam ad crates, & eò minus ad portas Monaſterij accedere ne permittant: ſi verò parentes, vel ij ad quos ſpectat negligentes fuerint in ea educenda, teneantur Præfectæ prędictę commonefacere Ordinarium, vt canonicis pœnis illos compellat. Abbatiſſæ autem, & Prioriſſæ, cœteræq; ad quarum officium ſpectat, huic Decreto inobedientes ad officio ipſo facto ſuſpendantur. Commendamus autem quammaxime Gubernatoribus, Confeſſarijs alijſq; Monaſteriorum Superioribus, vt eorum opera hæc noſtra conſtitutio in viridi obſeruantia ſemper aſſeruetur.

§. 12. Cōfeſſarij ordinarij, vel extraordinarij, Medici, Chirurgi, & Procuratores, quibus fragilis ſexus cura cōmittenda eſt, vt in Conſtitutionibus rubeis ſtatuitur, ſine expreſſo noſtro vel Vicarij noſtri conſenſu nunquam aſſumantur, horum autem ſicut cæterorum miniſtrorum ætas, fama, & mores ſint graues & honeſti.

§. 13. Crates, rotæ, & omnia ampla vel parua foramina, & fæneſtræ quæ clauſuram tangunt, & portę ex quibus immediatè in Eccleſiam Monialium patet ingreſſus, ex domibus ſiue contiguis quibuſcumque habitationibus, aut atrijs, licèt ſint pro Confeſſarijs, Procuratoribus, factoribus ipſarum Monialium, etiam Regularibus ſubiectarum, & licet in dictis domibus aut manſionibus & atrijs non habitetur, omnino tollantur, & illicò obſtruantur, ſub pœna Monialibus permittentibus priuationis officiorum & vocis actiuæ & paſſiuæ ipſo facto; ex parte verò Confeſſariorum & cœterorum vt ſupra, eo ipſo priuationis officiorum & arbitrij.

§. 14. Clauſurę & collocutoriorum portę omnium noſtrę Diœceſijs Monaſteriorū Monialium hora vigeſima quarta non tardius claudantur, nec prius quam alta iam die, exceptis neceſſitatis caſibus, aperiantur.

§. 15. Feneſtella autem, à qua Monialium Confeſſiones audiuntur ſit ferreis validiſq; & immobilibus laminis vndique clauſa & munita, & ita ex iiſdem laminis perforata, vt

agnoſci

agnoſci extra non poſſint, & amplius ab vtraque parte lineę telæ lignis affixę ad inſtar feneſtellę adaptentur; quæ dum Confeſſiones fiunt ſemper claudantur; contrafacientes tam Moniales quam Confeſſarij priuationi officiorum & arbitrarijs pœnis ſubiaceant.

§. 16. Hebręis, publicis meretricibus, & alijs huiuſmodi generis infamibus perſonis ad Monialium Monaſteria, vt cũ Monialibus colloquantur, ne permittatur acceſſus: excepto Monialium Conuertitarum Monaſterio quoad meretrices tantummodò, quæ cõſuetis licentijs poſſint ibi accedere, ſub pœnis arbitrarijs contra permittentes aut vocantes, contra verò accedentes ipſos, etiam ſi licentias fuerint ſub quouis prętextu conſecuti, capturę & pecuniarijs veluti ſi abſq; licentia acceſſiſſent, omni quauis excuſatione remota.

§. 17. Sicut iuris eſt Moniales omnes ſingulariter conſideratas, quia carent habilitate, non poſſe ex propria perſona, etiam ſi res ceſſerit in Monaſterij vtilitatem, obligari: ita ad tollenda omnibus quæcumque ignorantiæ ſubterfugia, declarandum eſſe credidimus, ſicuti hac noſtra Conſtitutione declaramus, quamcumque obligationem, vel æs alienum ab eis ſingulariter cum quouis contracta vel contrahenda, actionẽ nullã in iudicio eſſe huiuſmodi creditorũ fauore paritura.

D.Ioannes Ricaſoli. *D Rodulphus Marucelli:* *D.Alphonſus Strozi.* *D.Leonardus Dati.* *D.Carolus del Vigna.*	*Canonici Florentini.*

§. 9 Viſitatores Gymnaſij Clericorum noſtrę Metropolitanæ Eccleſiæ Florent. erunt

D.Carolus Altouiti. *D.Philippus Arrighetti Pœnitentiarius.*	*Canonici Florentini.*

§. 10. Approbatores Cæremoniarum Miſſæ erunt

D. Rodulphus Marucelli.
D. Cambius Anſelmi.
D. Carolus Altouiti.
D. Leonardus Dati.
D. Lelius Bonſi.
D. Alexander Minerbetti.
} *Canonici Florentini.*

D. Benedictus Buommattei.
D. Hieronymus Roſati.
D. Nicolaus Aldini; & omnes alij pro tempore futuri Metropolitanę Eccleſię Cæremoniarum Magiſtri.

Nullus itaque recenter in Sacerdotem ordinatus audeat in poſterum in tota noſtra Diœceſi publicè aut priuatim celebrare (alioquin per menſem toties quoties huic noſtrę cōſtitutioni inobediens erit, illicò à ſacrificando ſuſpendatur) niſi priùs fidem in ſcriptis alicuius ex ſupra deputatis reportauerit, ex qua euidenter conſtet illum Miſſæ cæremonias ex præſcriptis Miſſalium rubricis abſque errore exercere, & eorumdem Miſſalium rubricas optimè noſſe; deputatorum verò conſcientias ne contra veritatem fidem faciant oneramus: fides autem gratis fiant.

§. 11. Pro Doctrina Chriſtiana erunt

D. Carolus Altouiti.
D. Philippus Arrighetti Pœnit.
D. Alexander Minerbetti.
} *Canonici Floren.*

D. Franciſcus Ceretani Presbyter S. Philippi Neri.
D. Laurentius Vanni Canonicus S. Laurentij.

§. 12. Pro Cathecumenis erunt

D. Carolus Altouiti.
D. Alexander Minerbetti.
} *Canonici Florentini.*

D. Franciſcus Ceretani.

F. M-

F. M. Thomas Caccini Dominicanus.
P. Laurentius Cocchi Theatinus.

§. 13. Pro Benedictione Veſtium arbitrio noſtro erunt
D. Laurentius Capponi Præpoſitus Florentinus.
D. Philippus Arrigbetti Pœnit. Canonicus Florentinus.

§. 14. Teſtes Synodales in ciuitate erunt
D. Alphonſus Strozi.
D. Angelus Doni. } *Canonici Florentini*
D. Carolus del Vigna.

D. Ioannes Panciatichi.
D. Antonius Mucini.

Extra Ciuitatem erunt
Omnes Plebani in ſuis Plebanijs.

§. 15. Executores Synodales erunt
D. Nereus Iacopi. } *Canonici Florentini.*
D. Carolus Altouiti.

§. 16. Promotor & Compilator Synodi
D. Leonardus Dati Canonicus Florentinus.

EPILOGVS.

HÆc ea ſunt quę iuxta propoſitum ordinem in hoc ſacratiſſimo loco ex temporum opportunitate vobis omniq; populo noſtrę Diœceſis, hoc eſt, religioſiſſimis perſonis in memoriam reuocanda aut pręcipienda eſſe credidimus; quæ licèt ſub diuerſis titulis capitibuſq; diſtributa ſint, attamen ad inſtar annulorum qui plures vnicam nihilominus catenam efficiunt, in vnum connexa ſolam tangunt metam fidei exercendę per varios religionis actus in caritate non ficta: ita vt hoc amoris nexu, quod eſt vinculum perfectionis, ex omnibus præceptis ſuauiſſima vnigenaq; lex compoſita

tunc dici poſſit optima, quando ſolo actu caritatis in quo nō eſt labor, ſed ad ſummum laboris fictio, abſolutiſſimè obſeruetur; velut è contra vniuerſæ legis reus ille à D. Iacobo diceretur factus, qui in hoc vno deficeret caritatis præcepto, à quo vniuerſa lex pendet.

Hæc illa regia Domini, qui diuiſit mare rubrum in diuiſiones, via eſt, in quam omnes aliæ reſpondent ſemitæ, vt ſicut per eam Sāctiſſimus legislator Moyſes Deo iubente, qui deduxit ſicut oues populum ſuum diuiſis Oceani vndis, ex Aegipto Iſraeliticum populum faciliter liberauit, & in terrā fluentem lacte & melle perduxit; ſic nos eam dulciſſimæ caritatis libertatem, qua Chriſtus à lege ſeruitutis peccati nos liberauit, inter immenſas mundi procellas adepturi ſumus. Hac enim reperta iuuante Domino caritatis via perficiuntur omnia, ſicut amiſſa deſtruuntur. Vnde Apoſtolus ait: Si linguis hominum loquar & Angelorum, caritatem autē non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens; & ſi habuero prophetiam, & nouero myſteria omnia, & omnem ſcientiam, ſi habuero omnē fidem ità vt montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil ſum; & ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.

Caritas enim, vt idem inquit, patiens eſt, benigna eſt, caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, nō quęrit quæ ſua ſunt, nō irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate; congaudet autem veritati; caritas omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſuſtinet.

Hæc eſt diuinæ ſapientię lux de qua Salomon gloriabatur, Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius, & lętatus ſum in omnibus quoniam antecedebat me iſta ſapientia, quę horum omnium mater eſt. Infinitus enim theſaurus eſt hominibus, quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitię Dei propter diſciplinę dona commendati; quinimò non tantum amicitię Dei, ſed ipſiuſmet; quoniam qui manet in caritate in Deo manet, & Deus in eo, quia caritas eſt.

Te igitur Clementiſſime Pater, omnipotens, æterne Deus qui cunctis Eccleſię tuę filijs manifeſtaſti te in omni loco dominationis tuæ Paſtorem ouium, ſatoremq; bonorum ſeminum, ſicut in principio legis popoſcimus, ſic in fine ſupplices deprecamur, vt hic Clerus, & populus tuus qui ouium nomine cenſentur & ſegetum, luporum & ferarum terrore fugato, ſpinarumq; & tribulorum ſquallore reſecato, omni tēpore, locoue res illas, quæ hucuſque per has leges diſpoſitę ſunt, vocem Paſtoris audientes, & culturam in cordibus recipientes, fide, & caritate obſeruent; ita vt aliquando dignæ efficiantur cæleſtis ouilis, & agri oues, frugeſq; fæcundæ; & interim per iſtas res in omni loco, temporeq; ex eorum perſonis ſanctiſſimi tui nominis honor, & gloria fulgidiſſime ſplendeant. Amen.

Extra ordinem de Iudicijs. Cap. vnic.

CVpientes quam maximè vt omnes cauſæ, & illę præſertim quę minores, & executiuę nuncupantur, in Curia noſtra Archiepiſcopali, quantum in Nobis eſt, breuiores reddantur; & ad hoc vt quæ in Synodalibus Conſtitutionibus ſancita ſunt, vel vſus, & cōſuetudo dumtaxat introduxerunt ad tuendum, & releuandum reum, illis ipſe non abutatur, mādatorum Iudicum executiones impediendo, vel eas ſaltem difficiliores reddendo, ipſiſq; deindè mandatis executis finalem expeditionem eorumdem etiam cauilloſe tunc protrahendo, cum magno Actorum damno, & querimonia; iccircò in primis commendamus. ac præcipimus obſeruantiā decreti viq; ſub die 18. Iulij 1637, mandato noſtro promulgati, huiuſmodi tenoris, videl.

§. 1. Il Molto Illuſtre e Reuerendiſſimo Vicario Generale Fiorentino, perche la dilazione à pagare il debito (per ſolleuare dalle ſpeſe il debitore ſolo ordinata) non faccia effetto diuerſo, per il preſente decreto dichiara che non deue ottenere il termine de' giorni dieci correnti, che confeſſa il debito, ſe non nelle cauſe cominciate per via di monitorio; fermi però ſtanti gl'atti, e ſenza che ſia neceſſario impetrare pri-

ma

ma d'eſſere vdito dopò che fuſſe la ſentenza in contumacia data. Item dichiara che nelle cauſe cominciate dall'eſecuzione reale, non puo il grauato hauere il termine de' giorni ſimilmente à pagare, ſe non quando lo domandi auanti la confermazione del grauamento, mandantes &c.

§. 2 Ac ſucceſſiuè mandamus vt pro ijs omnibus iuribus, quę vigore Synodalium conſtitutionum florentinarum, ſeu huius vrbis ſtatutorum, vel Curiæ mercatantiæ ſtili ſtatutorum, & ordinamentorum paratam habent executionem, poſſit deinceps non tantùm à pignoris exactione, & reali executione (prout huc vſq; fieri conſueuit) verùm etiam à perſonali executione, & captura iudiciũ inchoari abſq; eo quòd nulla oporteat antea fieri proteſtatio, requiſitio, vel intimatio iudicialis, niſi illa quę Vicario noſtro cum literas mandati executiui firmauerit, inſpecta caſuum contingentia, ac perſonarum qualitate, pro arbitrio ſuo viſum fuerit aliquando committi.

§. 3. Terminus autẽ poſthac ad reluendum pignus in ſubhaſtationis cõmiſſione nõ excedat numerum quinque dierum currentium; neq; teneatur Actor, antequam reus ad videndum executionem realem confirmari, citari poſſit, quinque dies amplius expectare.

§. 4. In cauſis tam paratam executionem habentibus, quã etiam minoribus, & executiuis, ſi reus abſit a Ciuitate Florentiæ vltra quinque milliaria, poſſit in futurum (prima citatione perſonaliter, vel domi cum comminatione conſueta executa) ad omnes alios actus in valuis Curiæ Archiepiſcopalis citari, prout anteà citabantur vltrà decem milliaria diſtantes.

§. 5. Inſuper volumus vt ij, qui in cauſis ab executione reali inceptis poſt ſupradicti termini quinq; dierum ad reluẽdum pignus aſſignationem, comparuerint ad excipiendum nullatenus admitti debeant, niſi præcedẽte apud Camerariũ noſtrum generalem actuali depoſito, tam ſummæ, & quantitatis pro qua fuit facta executio, quam expenſarum vſque in illam diem ab Actore factarum.

§. 6. In quo quidem caſu depoſiti poſt intimationem

con-

cōfirmationis realis executionis (reo vna die pro alia citato) debeat a Vicario noſtro dicto Camerario committi, vt pecunias depoſitas creditori libere ſoluat: deinde verò cœteris expenſis poſt depoſitum ab eodem Actore factis legitimè taxatis, iterum citetur reus vna die pro alia ad videndum pro huiuſmodi taxatis expenſis pignoris iam exacti committi ſubhaſtationem; qua die adueniente ſubhaſtatio committatur exequenda, niſi per totam ſubſequentem diem reus expenſas huiuſmodi creditori ſoluerit; quo quidem decreto intimato & integra die elapſa, a Camerario noſtro pignus ſubhaſtetur, ac ſtatim ex retractu creditori expenſæ huiuſmodi liberè perſoluantur.

§. 7. Item in cauſis executiuis & minoribus à monitorio vel pręcepto incoatis poſt rei contradictionem habeat Actor ac deinde etiam reus terminum ſex dierum vtilium ad probandum: quibus elapſis nulla alia dilatio niſi trium dierum itidem vtilium vtrique parti communis ad producendum omnia iura pro vltimo & peremptorio termino concedatur, & hęc omni meliori modo mandantes &c.

§. 8. Hæc de Iudicijs in cauſis minoribus & executiuis ſtatuimus iuxta matęriæ neceſſitatem & temporum opportunitatem: cæterùm quoadusque ex prætęritis Synodis & ad formā iuridici ordinis, actitationem curiæ & modos procedendi in reliquis iudicijs ordinemus. Interim confirmamus, ſeruariq; mandamus omnia quę a Prædeceſſoribus noſtris & a Nobis ſtatuta ſunt, commendantes pręcipue Decretum à Nobis circa Actuarios noſtræ Archiepiſcopalis Curiæ ſub die 4. Aprilis nuper factum, & 10. præſentis menſis Maij mandato noſtro promulgatum, cum pœnis in eodem Decreto comminatis, omni meliori modo &c.

ACTA

ACTA SYNODI DIOECESANÆ M.DC.XXXXV.

CVm Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo D. D. Petro Niccolini Archiepiſcopo maximè cordi ſit iſtarum Synodalium Conſtitutionum futuris etiam temporibus cuſtodia & obſeruantia: ideò vniuerſæ Synodalis actionis partes, ad eis robur augendū, monumētis publicis cōſignari mādauit.

Paratis itaque per multos antea menſes, & proprijs lucubrationibus & alienis, ex Concilijs, & potiſſimum Tridentino, ex Summorum Pontificum Bullis, ex Sacræ Congregationis Decretis, ex Synodalibus tam Prouincialibus quam Diœceſanis & Edictalibus Prędeceſſorum ſuorum ſuiſq; Cōſtitutionibus, ex Synodis etiam inſignioribus vel recentioribus totius Italiæ, ex Doctorum tam vtriuſq; Iuris, quam Sacrę Theologię voluminibus, ex Pōtificalibus, Cęremonialibus, Rituali, & ex eorumdem Sacrorum Rituum Scriptoribus; paratis inquam ijs omnibus, quæ tantę rei vſui futura eſſe crediderat, imploratoq; publicè priuatimque diuini Numinis auxilio, vt facilius ex vniuerſa Diœceſi notitias colligeret, die 13. Ianuarij infraſcriptum publicari iuſſit Edictū.

PETRVS NICCOLINI

Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Florentinus.

ARchidiacono, Dignitatibus, Canonicis & Capitulo Metropolitanę noſtræ Eccleſię Florentinæ; aliarum Collegiatarum Eccleſiarum in Ciuitate & Diœceſi Florentina conſiſtentium Capitulis; Plebium & aliarum Parochialium Eccleſiarum eiuſdem Ciuitatis & Diœceſis Rectoribus, Presbyteris, etiam in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, tam Sæcularibus quam etiam quorumuis ordinum Regularibus noſtræ iuriſdictioni quoquo modo ſubiectis, & eorum cuilibet, a Domino Seruatore noſtro Ieſu Chriſto veram ſalutem.

CVM pro noſtri Archiepiſcopalis officij munere & antiquorū, ac in Sacri Concilij Tridentini editorum Cano-

num

nū obſeruatione, ad moderandos mores aliaq; à Sacris Canonibus permiſſa imperataq; perficienda, Diœceſanam Synodū habere velimus: Icciro, vt omnibus prefatis & quibuſcūq; alijs cuiuslibet Ordinis Clericis, qui Canonem iure vel Eccleſiaſticis ſanctionibus, vel Tridentini Concilij decreto, vel conſuetudine aliaue ratione Synodo prædictæ intereſſe debent, nota ſit huiuſmodi celebratio, neue aliquo ignorātiæ titulo excuſari poſſint; vniuerſos & ſingulos prædictos, aliosq; per hoc noſtrum Edictum (quod ad loca ſolita tam in ciuitate quam extrà per totam Diœceſim varijs exemplaribus a noſtro Cancellario ſubſcriptis, per quoſcumque publicos nuncios affigi; vel in Plebanorum manus, qui ea ſuarum Eccleſiarum valuis affigant, & ſuę Plebaniæ Prioribus & Parochis ſignificent, deferri iuſſimus) monemus in Domino, & in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœnis duorum aureorum locis pijs arbitrio noſtro diſtribuendorum, atque alijs mulctis & Cenſuris ſacrorum Canonum, & Prouincialium Florentinarum conſtitutionum iure ſtatutis omnino iubemus, vt certa die, quę erit 17. Maij 1645. hora 10. eiuſdem diei, ad Synodum prædictam in noſtra Metropolitana Eccleſia celebrandam a principio vſque ad finem vnuſquiſque eorum perſonaliter iuxta ſuas dignitates, gradus, & conditiones, ſuo decenti habitu & tonſura clericali reſpectiue in huiuſmodi actionibus requiſitis & conſuetis, conueniant & adſint; indeq; quiſquam eorum, niſi impetrata a Nobis licentia, ſub dictis pœnis nullo pacto diſcedat; & talis abſentiæ tēpore in vnaquaque Plebania a Plebanis idoneus Sacerdos ſubſtituatur, qui neceſſaria Curati munia per id tempus exerceat: vt ope Dei ea rite ſtatuamus & promulgemus, quæ ad animarum ſalutem, Cleri diſciplinam, diuini cultus incrementum, totiuſq; Diœceſis reformationem pro temporum ratione pertinere & ſpectare cenſebimus.

Inſuper ad hoc, vt tam graue negotium rite & abſolutiſſime perficiatur, ſignificamus die 20. pręſentis menſis Ianuarij poſt Veſperas in noſtro Archiepiſcopali palatio Nos Cōgregationem habituros, ad quā inuitamus Dignitates, Canonicos, & Capitulum noſtræ Metropolitanæ Eccleſiæ Florenti-

næ. Die 23. eiuſdem menſis poſt Veſperas ſecundam Congregationem adunaturos, ad quam inuitamus omnes Confeſſarios etiam Regulares Ciuitatis Florentiæ. Die 31. eiuſdem menſis tertiam Cõgregationem celebraturos, ad quam inuitamũs omnes noſtrę Diœceſis Plebanos; & ſi Priores & Rectores intereſſe voluerint, gratum pariter Nobis erit.

Datum Florentiæ ex noſtro Archiepiſcopali Palatio anno Dominicę Incarnationis M.DC.XXXXIV. Indictione XIII die verò prima menſis Ianuarij, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris D.D. Innocentij X. anno primo. Et Sereniſſimo Ferdinando II. magno Etruriæ Duce feliciſſimè dominante.

Petrus Niccolini Archiepiſc. Flor.

Io: Antonius Vign. Cancell. de mand. ſubſcr.

Die 18. eiuſdẽ mẽſis habuit penes ſe Metropolitanæ Eccleſiæ
Magiſtrum Gymnaſij Clericorum
Choriſtam
Sacriſtam
Magiſtrum Cæremoniarum
Prouiſorem, ſeu Punctatorem Canonicorum
multiſq; oretenus pro eiuſdẽ Metropolitanæ Eccleſiæ optimo regimine plenè diſcuſſis, poſt aliquos dies peculiaria & priuata Edicta in ſcriptis ſingulis tradidit, publicari, aſſeruari in locis opportunis, obſeruariq; velut partes eiuſdem Synodi imperauit.

Die 20. eiuſdem menſis in Archiepiſcopali Palatio Dignitatum & Canonicorũ Metropolitanę Eccleſię Capituli habita Congregatione varijſq; propoſitis & examinatis caſibus ad Synodũ rite perficiendã ſpectantibus, Cõſultores nominauit

D. Vincentium da Rabatta Can. & Vic. Gen.
ex eodem Capitulo *D. Alexandrum Venturi Archidiaconum.*
D. Franciſcum Rinuccini Archipresbyterum.
D. Laurentium Capponi Prępoſitum.
D. Cambium Anſelmi Canonicum.

D. Ne-

D. Nerium Iacopi Canonicum.
D. Philippum Arrighetti Canon. Pœnitentiarium.
Promotorem Synodi declarauit
D. Leonardum Dati Canonicum.

notumq; tàm ijs, quàm cœterijs Canonicis fecit ſibi fore gratiſſimum, quando liberè in mediũ vnuſquiſque per ſcripturam auctoritatibus cõfirmatam offerret quidquid in Synodo ſtatuendum eſſe iudicaret.

Die 23. eiuſdem menſis in eodem Archiepiſcopali Palatio, pręſentibus Conſultoribus, & Promotore coram ſe numeroſiſſimam Congregationem habuit Confeſſariorum Ciuitatis & Regularium, in qua poſt grauem pijſq; documentis redundantem ſermonẽ omnibus indixit, vt quidquid vnuſquiſque in Synodo obſeruatione dignum putaret ſcripturis auctoritatibus roboratis per totam diem 15. Februarij proximi vel ſibi vel Promotori, vel (quod opportunius iudicabat) duobus ex eis adhoc peculiariter mox deputandis afferrent, Illicoq; nominauit deputauitq;

D. Gabrielem Alberti Metropolitanæ Eccleſiæ Curatum.
D. Franciſcum Caſuli Barnabitam.

Die 31. eiuſdem menſis in eodem Archiepiſcopali Palatio pręſentibus ſupradictis Conſultoribus & Promotore Cõgregationem frequentiſſimam Parochorum habuit, Plebanorũ ſcilicet, Priorum, & Rectorum Ciuitatis & Diœceſis, traditiſq; optimis documentis elegit

Ex Plebanis *D Lucam Mini Pl S. Stephani in Pane.*
D. Horatium Albizi Pl. S. Marię dell' Antella.
Ex Prioribus *D Laurentiũ Meoni Pr. S. Martini a Gãgalãdi.*
D. Antonium Alabaſtri Pr. S. Thomæ a Barõcelli.
Ex Rectoribus *D. Albertũ Berti R. S. Petri a Quintole e Girone.*
D. Sanctem Nardi R. S. Mauri.

Quibus à cæteris per totam diem 15 Februarij inſtantis, per ſcripturam legitimis auctoritatibus comprobatam afferretur ea, quæ in Synodo digna Conſtitutionibus iudicarentur.

Intra quod tempus omnes munus ſuum executi ſunt, & deputati ad notatarum rerum ſcripturas diligentiſſimas Archiepiſcopo & Promotori, multi etiam ore tenus iterum atq; iterum expoſitis conſignauerunt.

Poſthęc corā Dominatione ſua Illuſtriſſ. & Reuerendiſſima Conſultores cū Promotore tres habuerunt priuatas Cōgregationes, in quibus difficiliora optimis maturiſq; diſcuſſionibus & conſilijs Archiepiſcopo annuente, omnium concordi communiq; voto explanata ſunt.

Poſtmodum per decem continuos dies ijdem Conſultores cum Promotore, cuncta quę in Synodali ſcriptura ab ipſo cōpilata fuerant, multiplici rigoroſoq; examini ſubiecerunt, cenſuris notarunt, communiq; conſenſu reprobanda reiecerunt, & confirmanda probauerunt.

Demum ab eodem Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Archiepiſcopo omnibus decretis oculatiſſime perlectis, proprięq; ſubſcriptionis approbatione firmatis

Die 16. menſis Maij ex mandato D. ſuę Illuſtriſſimę & Reuerendiſſimę a Cancellario omnibus vtriuſq; ſexus Regularibus, cęteriſq; vrbanarum Eccleſiarum curam habentibus, publica oratio, campanarumq; ſonus fuerunt indicti poſt Veſperas eiuſdē diei incipiendi, & tandiu duraturi, quandiu

Die 17. ſequenti, hora decima, ſonus maioris campanæ Metropolitanæ Eccleſiæ ad Synodum inuitatos congregans deſineret.

Tunc enim ex ſuo Archiepiſcopali Palatio ad Metropolitanam Eccleſiam accedens Illuſtriſſimus & Reuerēdiſſimus D.D. Archiepiſcopus, ibiq; ab eius Eccleſię Canonicis reuerenter exceptus, peracta Sanctiſſimo Sacramento adoratione, publicatoq; a Cācellario Edicto de non prę iudicando, & prę cepto de non diſcedēdo, edito ſuperius primo loco inter alia Synodalia decreta, Miſſā de Spiritu Sācto in Altari adhoc decentiſſime ſupra eminentem conſignationem parato celebrauit cæteraq; ex Pontificalis norma & iuxta Florentinæ Eccleſiæ in huiuſmodi actionibus antiquam & laudabilem cōſuetudinem peregit.

Mox D. Nicolaus Rouai Canonicus Florentinus infraſcripta Oratione ex peculiari ſuggeſtu ad Synodi celebrationem, & ad Decretorum in ea publicandorum obſeruantiā Clerum vniuerſum ſic concinne eloquenterq; diſpoſuit.

ORATIO

Habita à D. Nicolao Rouai Canonico Florentino in ipſa Synodi Celebratione.

EN tandem Illuſtriſſime, & Reuerendiſſime Præſul, Auditores prȩſtantiſſimi, en in quã recurrente cælorum periodo, conuocatus totius Diœceſani Florentini Cleri celeberrimus ille conſeſſus; en amȩniſſimus ille hortus, qui Sanctorum Antiſtitum pijſſima manu excultus, flores veram Catholicã religionem redolentes, tranſactis temporibus abundantiſſimè protulit, & in quo, vt ita dixerim, myrrha illa electa toties dedit ſuauitatem odoris; en feraciſſimæ illæ plantæ, quæ cæleſti rore benigne irrigatæ dulciſſimos innoxiæ & odoratæ vitæ fructus progenuerunt. Gratulor igitur vobis, & etiam atque etiam gratulor

lor Auditores, quod cum aliàs ad eliminandas hæreſes, ad moderandos exceſſus, & deprauatos Clericorum mores corrigẽdos vigilãtiſſimi Paſtores Diœceſanas Synodos indixerint, nunc ſolũ noſter benigniſſimus Præſul ad Eccleſiaſticę diſciplinæ perfectionem vobis propinandam conuocauit. Siquidem Sacroſancti Tridentini Concilij decreta iampridem ad nos deriuata, & à vobis vna cum ipſo materno lacte hauſta, ſub felicibus & pijs Sereniſſimorũ Magnorum Ducum auſpicijs ita ſarcta & tecta habuiſtis, vt vitioſos habitus, qui malè viuendo comparari ſolent, a vobis tollere nequaquam ſit neceſſarium, ſed ſolum exquiſita quædam & omnibus numeris abſoluta viuendi norma, ad diligendum decorem domus Dei, ad regnum cęli facilius rapiendum, hodie ſuperſit proponenda. Deberem ante le-

ctiſſimum

ctiſſimum virorum cõſeſſum in tam honorifica Panegyri locuturus, dulciſſimum ad aures demulcendas aptare proloquium; deberem apud ſapientiſſimos Patres, omnes ad aucupandos animos, ad captandam auram huc accerſire Veneris orationes: nihilominus ne puritas illa, quę animis & moribus imbibenda proponitur, ab ore & lingua videatur exulare, nullus me acriori ſermone perſtringet, ſi demiſſo & humili loquendi genere hortatoria hæc incedat oratio: licèt officium iſtud demerendæ beneuolentię, non ſit opus impendere, cum apertè videam quamlibenter in iuſſa Præſulis capeſſenda attentio veſtra cõſpiret, adſpiret humanitas indiſerti vocibus Oratoris.

Vt igitur propoſitæ perfectionis neceſſitatem propinquius liceat intueri, nobile illud protoplaſti Parentis ædificium,

cium, Microcoſmus nempè, Dei mani-bus mirabiliter conſtructus in mentem redeat, in quo ſingulari Numinis beneficentia non ad alium effectum diuina adamuſſim refertur imago, niſi vt Deũ ipſum ſingulare totius perfectionis exẽplar facilius imitari humanarum virium conaretur infirmitas. Quod licèt omnibus æquè iniunctum ſit onus, meminerint tamen Sacerdotes Eccleſiam Sanctiſſimo Domini cruore fundatam, tot Sacramentorum acceſſione ditatam, ab ipſis præcipuè nitidiſſimo cultu & ſanctioris vitæ regimine tuendam & cuſtodiendam eſſe. Meminerint inquam, quali morum puritate ab eis Dominicæ reſpondendum ſit liberalitati, a qua per ordinis collationem incredibili poteſtate, Euchariſtiæ nempè conſecrationis, & integræ peccatorum condonationis munere decorati fuere. Quid hic memorem

morem prodigioſam illam portentorũ effertricẽ virgam Moyſis manu decoratam? Suſpexerit aliquando orbis, ipſius contactu fluuios deſijſſe in ſanguinem, ſtetiſſe primò maria, poſtmodum in fluorem priſtinum abijſſe, e ſilice copioſos aquarum riuulos effluxiſſe. Mira licèt hęc, atque his ſimilia fuerint, longè tamen maiora in Sacerdotum poteſtate ſuſpicere noſtra hæc tempoa potuerunt. Ad ipſorum verba vinum abit in ſanguinem, & quidem Chriſti; ſtat, ſi verba nõ fluant, diuiſum criminum mare, ſtygioque Pharaoni tutum iter explicatur; at ſi verba ſoluantur, exundãtibus aquis immergitur lacrymarum: ſaxea namq; licèt ſint criminoſorũ corda, efficaciſſimæ vocis ictus ſentiunt, & continuò emolleſcunt. Effluxerit ad vnius verbi prolationem *Fiat* rudis illa indigeſtaq; moles in tantam rerum ma-

ximarum pulcritudinem & varietatem, in tantum orbium cæleſtium decorem & venuſtatem, vt nullus omninò mortalium non admiretur: longè mirabilius eſt, quod Sacerdos ſua voce perficit & operatur; operario namq; ſermone diuinorum myſteriorum effector, & diuinæ potentiæ penè dixerim candidatus, non vniuerſitati creaturarum imperat, ſed ipſimet rerum omnium procreatori Deo, tantumq; Numen, quantum quantum eſt, in triticei panis perexiguo ſiſtit velamento. Quis hic mihi in memoriam reuocet ad Heliæ ignitas preces ignem de cęlo pluuium ſuper victimas effluxiſſe, ad Ioſue Principis vocem vnicam mobilium rerum omnium parētem ſolem in ipſis velociſſimi motus procurſionibus ſtabilem in modum perſeueraſſe? Longe his maiora habeo, quę in vobis admirer Sacerdotes; vos ignem illũ

qui

qui neſcit extingui omniaq; conſumit facilius omninò quam explicari queat, noſtis in hoſtias aduocare, & ſolem illũ Diuinitatis, nequaquam perpetui motus oblitũ ſui, in veſtrarum manuum firmamento immobilem redditis. Ieſſeę Virginis vocula carne velauit Deum. Inauditum! Veſtrę vocis imperium excedit omnium mentes & cogitatus. Vos non ſemel atq; iterum carnis velamine, ſed ſpecierum inuolucro, ſed non entium amictu quotidiè circumtegitis. O miniſterij poteſtatem, ò Dei profuſam liberalitatem! Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis abundè rebus humanis indulſiſti, qui homulos ex Adami luto concretos, ad hunc glorię apicem extuliſti. Quales & quãtas igitur, Auditores, oportet eſſe manus iſtas, quã præclaras, quam innocentes, quam pudicas, quam venerabiles eſſe oportet iſtas manus, quę

Deum cęlitus excipiunt, Deum tāgunt, Deum tractant. Quanta & qualia eſſe oportet iſta labia, quam pura, quam impolluta, quam auguſta labia, quæ Dei vnigenam filium, Angelorum amores & delicias, mundi reparatorem Chriſtū intra ſua clauſtra demiſſum, cum omni veneratione ſalutant, imò ipſum ſacroſanctis verbis eliciunt. Macti animo Sacerdotes, quid de propoſitę perfectionis ſemita capeſſenda trepidatis? Non Martyrum virgæ plumbatæ, non ferrei pectines, aut vngulæ, non candentes galeę, aut cœtera exquiſitiſſimorum ſuppliciorum inſtrumenta, quæ ſine horrore ab ipſis crudelitatis adminiſtris aſpici nō poterant, hodie proponūtur; paucis cōtentus eſt Deus, qui perfractas mortaliū vires & humanæ naturæ nouit imbecillitatem: iugū quippe ipſius ſuaue eſt, & onus leue. Quod vt facilius humeris no-

ſtris

ſtris incumbat, pro viribus ab vno quo-
que Sacerdote laborandũ eſt, ne accep-
tas a Deo ingenij dotes, ad rerum hu-
manarum quiſquilias traducat, & quaſi
hamis aureis ad viliſſima quæque ani-
malcula expiſcanda conuertat; ſed cum
ſe in Dei ęre & peculio totũ eſſe cogno-
ſcat, magno & alacri animo in ſocietatis
humanæ commercium, in Reipublicæ
Chriſtianæ decus & ſolatium, & in pro-
curanda mortalium ſalute penè & ipſo-
rum Angelorum æmulus ſe demittat.
Non blandiſſimis illis voluptatibus, qui-
bus oppreſſa lux menti extinguitur, in-
dulgendum; ſed in lege Domini ambu-
lando induenda ſunt arma lucis, & de-
terſis vitæ labeculis, ſe veluti limatius
ſpeculũ cæleſtibus radijs quilibet obij-
ciat, vt pleniori luce colluſtretur. Vos
eſſe mundi lucem diuina verba teſtãtur,
& hoc non vt vobis ſolum fax iſta pręlu-
ceat,

ceat,ſed vt clariori ſplendore coruſcans ad publicam aliorum vtilitatẽ refulgeat. Agnoſcamus obſecro dignitatem noſtram,& ſi qua obducta criminum ſanie impuro marceſcunt corda ſquallore, Deo tandem perpolienda promamus, vt priſtino deturpatæ imagini reſtituto nitore, illuminentur ij, qui in vmbra mortis ſedent, & dirigantur pedes noſtri in viam pacis.

Vita Præſulis cenſura eſt, eaq; perpetua, ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur: ab eo, qui clariſſimarum virtutum imago eſt, viuendi norma exquiratur. Ipſe enim vitam omnem aut ſupplicium, aut militiam exiſtimans, delicatum verò otium, viui hominis ſepulturã, etiam in hoc ipſo ingraueſcentis ætatis tempore, pro Eccleſiæ ſuæ decore expoliendo, laboribus indefeſſum ſe præbuit, eo ſemper animo contra vitiorum

&

& facinorum impetum eluctatus, vt aut vinceret profligando, aut glorioſi operis clauum tenentem tempeſtas obrueret. Profuſius præſtantiſſimi Præſulis merita extollerem, niſi viderem ipſius faciem etiam in veriſſimarum laudum mentione rubore ſuffundi, ita dictante modeſtia profundis humilitatis nixa radicibus. Hoc vnum tamen nõ omiſerim in hac ferrea ætate quaſi aurei generis particulam oſtendiſſe naturam videri, dum & tanti Viri virtus ſuſpicienda, & eximia in Chriſtianam Rempublicam pietas imitanda proponitur. Quod ſi altiùs iuuet ſtatutę perfectionis exempla deducere, Sanctorum Antiſtitum Zenobij & Antonini præclara facinora (quorum memoria in annalibus Eccleſiaſticis apud poſteros in benedictione erit) examinanda ſe offerunt; ſi perfectiſſimis eorum veſtigijs inhærere contendemus,

tendemus, ſi mores ad cæleſtem eorum viuendi normam componere curabimus, feliciſſimo forſitan imitandi ſtudio ſuccedet, vt refractos in pellucido fontis liquore radios videre conſueti, ipſum demum iuſtitię ſolē acriori mentis obtutu contemplemur.

DIXI.

Completa hac Oratione, interrogatus fuit Clerus vniuerſus a D. ſua Illuſtriſſima & Reuerendiſſima, an eis placeret vt Synodus inciperet. qui vna omnium plauſibili voce PLACET Reſponderunt.

Tunc Cancellarius ad canonicas querelas ſuſcipiendas ſeſe promptum omnibus obtulit, quę cum a nemine datæ fuiſſent:

Archidiaconus D. Alexander Venturi decreta Concilij Tridentini, alterum de Reſidentia cap. 1. ſeſſ. 23. de Reformatione, quod incipit: Cum præcepto diuino. Alterum de Profeſſione fidei ſeſſ. 25. cap. 2. quod incipit Cogit temporum calamitas, alta voce recitauit. Quem Archidiaconum ſecutus eſt Cancellarius,

Inuitans omnes qui aliàs in Synodo profeſſionem fidei nõ emiſerant, vt eam in manibus D. ſuę Illuſtriſſimę tunc emitterent, ea ratione quam Synodi Promotor, eorum placito intercedente, annueret; ſcilicet, vt Archidiaconus per extensũ forma profeſſionis à Pio IV. olim ſtatuta, omnium nomine perlecta, ipſe prius, mox omnes ſinguli profeſſuri ante Archiepiſcopum ordinatim genuflexi, vnuſquiſque diceret:

Et ita profitemur, ſpondemus, & iuramus.

Deinde ab eodem Archidiacono perlecto capite Concilij Tridentini de Eligẽdis Examinatoribus ſeſſ. 24. cap. 18. quod incipit: Expedit maxime; & a Cancellario Examinatorum nominibus lectis, poſtquam ipſi coram Archiepiſcopo comparuerunt, ab eodem Cancellario Clerus interrogatus eſt, an viros illos in Examinatores approbaret: qui per verbũ PLACET reſpondit. Illicoq; ex ordine præſentes ſinguli ſic iurarunt.

Ego N. Examinator electus iuro quod pro executione mei officij nihil prorſus occaſione examinis nec ante, nec poſt, mediatè vel immediatè recipiam: ſed quacumq; humana affectione poſtpoſita fideliter examinatoris munus exequar. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

Poſthæc Archidiaconus legit cap. 10. ſeſſ. 25. de reformatione incipiens, Quoniam ob malitioſam: Cancellarius verò publicatis nominibus Iudicum delegatorum, a Clero petijt

an eos approbaret? ſecutaq; per verbum PLACET appro-
batione

Ceterorum nomina expoſuit, quibus munus aliquod ab Ar-
chiepiſcopo fuerat vſque ad alteram Synodum impoſitum.

His omnibus peractis Archiepiſcopo petente a Clero ſibi & ſucceſſoribus obedientiam, reuerentiam, & anathematizationem omnium hæreſum, a Sacris Canonibus, & Concilijs potiſſimumq; Tridentino damnatarum,

Clerus vniuerſus alacriter reſpondit:

promittimus & anathematizamus.

Hanc actionem lectio nouorum decretorum ſubſecuta eſt, quam ab eodem Clero Archiepiſcopus ipſe requiſiuit, & per verbum PLACET obtinuit.

Hac vero lectione a Cancellario, qui librum ipſum ea decreta continentem ab Archiepiſcopo genuflexus acceperat, e peculiari ſuggeſtu in medio Cleri completa;

Interrogante Archiepiſcopo an per approbationem vim & robur decretorum & conſtitutionum Synodalium ei tribuerent; Clericus illico approbauit, PLACET vnica omnium voce clamando.

Sic interpellante denuò Archiepiſcopo ex eiuſdem Cleri placito; poſt regeſtum eorum omnium, qui intereſſe tenebantur; poſt publicationem decreti, quo ordo Synodalis proceſſionis mox inſtituendæ indicebatur; poſt Deo gratiarum actionem ab Archiepiſcopo orante redditarum & poſt benedictionem; vniuerſa hæc Synodalis actio, hiſce grauibus, pijs, lætiſq; acclamationibus clauſa eſt.

Archidiaconum enim inuitantem

Beatiſſimo Domino noſtro, & vniuerſalis Eccleſiæ Paſtori Innocentio X. cunctarum gentium obedientia, multi anni & ęterna memoria.

Cantores altis vocibus ſecuti ſunt

Domine Deus Sanctiſſimum Patrem Eccleſiæ tuę conſerua multos annos, & eo regnante concede, vt fiat vnum ouile & vnus Paſtor.

Archidiaconus

Catholicę Eccleſię vnio, pax, & gratię cęleſtis incrementũ.

Can-

Cantores

Reſpice Domine Eccleſiam tuam, vt hæreticorum feritate compreſſa, pacis & fidei catholicæ vnione ſemper exultet.

Archidiaconus

Sereniſſimo Ferdinando Etruriæ Magno Duci noſtro orthodoxo & Chriſtianæ religionis defenſori; ac Sereniſſimæ Victoriæ della Rouere ſumma felicitas & multi anni.

Cantores

Videant omnes filios filiorum vſq; ad tertiam & quartam generationem, & ſumma felicitate ad optatam perueniant ſenectutem

Archidiaconus

Eminentiſſimis & Reuerendiſſimis Carolo electo Sabinenſi, & Ioanni Carolo Diacono S. Mariæ Nouæ ex Principibus Etruriæ, S. R. E. Cardinalibus perpetua felicitas & verum gaudium.

Cantores

Perpetuam felicitatem & verum gaudiū tribuat illis Deus.

Archidiaconus

Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Archiepiſcopo noſtro Petro Niccolini huius Synodi præſuli vita felix & diutina, ac ſalutaris vigilantia.

Cantores

Antiſtitem noſtrum miſericors Deus diù incolumē ſerua; & omnia Spiritus Sancti dona in eo ſemper adauge.

Archidiaconus

Populo & Clero Florentino, orthodoxoq; Senatui pax, gratia, & diuina benedictio.

Cantores

Memento Domine plebis tuæ, eiq; tuæ benedictionis rorē infunde.

Quibus Acclamationibus abſolutis, Archidiaconus inquit: Procedamus in pace; factaq; eſt iuxta ordinem decreti Synodalis Proceſſio.

Ipſius autem decreti tenor fuit.

Nos Petrus Niccolini Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Florentinus In virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna ipſo facto ſine alia declaratione incurrēda ab omnibus & ſingulis tranſgreſſoribus & reclamatoribus ſcutorum decem; cunctis hic pręſentibus hoc noſtro peculiari Edicto iubemus, vt hunc ordinem in futura præſentis Diœceſanæ Synodi Proceſſione ſeruent.

Erigatur & moueatur Crux vnica, vel Vexillum noſtræ Metropolitanæ Eccleſię cum ſolitis luminibus; quam illicò & immediatè ſequantur, nullo ſeruato præcedentiarum ordine, omnes Parochi noſtrę Diœceſis ſiue Rurales ſiue Vrbani, alięq; Eccleſiaſticę perſonę quocumq; nomine nuncupatæ, & quę hic interſunt ex præcepto Edicti noſtri ſub die prima menſis Ianuarij 1644. ——— Poſtea ſequantur

Capitulum Caſtri Florentini ——— ſucceſſiue
Capitulum Eccleſię Collegiatæ
S Fridiani de Florentia ——— ——— deinde
Capitulum Terræ Emporij ——— poſtmodum
Capitulum Inſignis Collegiatę
S Laurentij de Florentia ——— ——— demum
Capitulum noſtræ Metropolitanę Eccleſiæ.

Repetita ſemper proteſtatio, quod nemini per hoc præiudicium intelligatur illatum, neq; contra ius acquiſitum in præcedentiarum materia. Mandantes &c. Iubentes &c. ſub pœna de qua ſupra omni meliori modo &c. Datum Florentiæ ex noſtra Eccleſia Metropolitana Florentina hac pręſenti die 17 Maij 1645.

Petrus Niccolini Archiepiſc. Flor.

Io: Antonius Vign. Cancell.
de mand. ſubſcripſi.

Elencus Cleri, qui inuitatus tenebatur intereſſe Synodo.

Præſentes		Abſentes		In totum		
Dignitates & Can.		Cap.Eccl.Metrop.		Florentinę		
fuerunt Pręſentes	37	Abſentes	5	In totum	42	
Prior & Canonic.		Cap;Inſig Colleg.		S.Laur.de Fl.		
Præſentes	14	Abſentes	1	In totum	15	
Prępoſ. Dign.& Can.		Cap Collegiatæ		Terræ Emp.		
Præſentes	14	Abſentes	1	In totum	15	
Prior & Canonici		Cap Collegiatæ		S. Frid.de Fl.		
Præſentes	6	Abſentes	1	In totum	7	
Pleb.Prior, & Can.		Cap.Collegiatæ		Caſtri Flor.		
Præſentes	12	Abſentes	2	In totum	14	
Ex Cap. in vniuerſũ Præſentes	83	Abſentes	10	In totum	93.	93
Clerus Vrb. Prior. & Rectorum Præſentes	44	Abſentes	4	In totum	48.	48
Clerus ruralis Pleb. Præſentes	52	Abſentes	6	In totum	58	
Abb.Prępoſ.& Prioriarum Præſentes	65	Abſentes	11	In totum	76	
Rectoriarum ſimpl. Præſentes	249	Abſentes	59	In totum	308	
Clerus ruralis vniu. Pręſentes	366	Abſentes	76	In totum	442.	442
Vniuerſ. Clerus ſcil. Cap vrb rur. Præſentes	493	Abſentes	90	In totum	583.	583

Impreſſo autem Synodo infraſcriptum Edictũ publicatũ fuit.

PIERO NICCOLINI
Per grazia d'Iddio e della Santa Sedia Apoſtolica Arciueſcouo di Firenze.

A tutti quelli che in qualſiuoglia modo ſono alla ſua giuriſdizione ſuggetti, da Gieſu Criſto Saluatore noſ ſalute e benedizione.

ESſendo traſcorſo queſto tempo dal di 17. di Maggio paſſato, nel quale ſolennemente ſi pubblicarono, e con l'interuento e comune conſenſo di tutto il Clero della noſtra Dioceſi ſi approuarono le Coſtituzioni Sinodali fatte da Noi, e deſiderando a maggior gloria d'Iddio e ſalute dell'anime, che ſi metta in eſecuzione quãto in eſſe viene reſpettiuamente à ciaſcheduno comandato, inerendo particolamẽte alle veſtigie de noſtri Predeceſſori, per il preſẽte noſtro publico Editto notifichiamo à ciaſcuno, come per leuare ogni ſcuſa d'ignoranza ò d'altra cagione ſono gia ſtampate e prõte per chi ſe ne dee prouuedere alla bottega del noſtro ſtampatore Archiepiſcopale, doue ſtarà affiſſa per cõtraſegno vna Cartella che dice (*Sinodo del* 1645.) nè può eſſo ſtampatore pretendere più che lire due per ciaſched'uno eſemplare :- Comãdiamo per tanto particolarmente ed'eſpreſſamẽte à ciaſcheduno Curato della noſtra Diogeſi sì della Città come fuori di eſſa ſotto pena di ſcudi due e l'arbitrio cõtro ciaſcuno traſgreſſore, che drento allo ſpazio d'vn meſe dal di d'oggi l'abbiano prouuiſte, le tengano appreſſo di loro, le ſtudino e l'oſſeruino puntualmẽte; E perche ſi è differita la ſtampa più tẽpo, ci contentiamo e vogliamo che obblighino, e comincino ad auere loro vigore non il di 18. del preſente, come ſi era ſtabilito al Capitolo *de Cõſtitutionibus*, mà vn meſe più oltre, cioè il di 18 di Agoſto proſſimo, auuertendo tutti li detti Curati che ò venẽdo da loro a comprarle, o mandando dieno a eſſo ſtãpatore non ſolamente il nome proprio, ma anche quello della Chieſa che rappreſentano, e ſi facciano da eſſo ſtãpatore contraſegnare come obbedienti a noſtri ordini, e differẽziare da quelli che traſgredẽdo paſſato detto tẽpo di vn meſe procederanno sẽza altra dichiarazione, perſonalmẽte e realmẽte l'eſecu-

l'eſecuzione della pena ſopra notificata,ed appoſta nelle medeſime Coſtituzioni.E pche ognun ſappia queſta noſtra determinazione facciamo affigere a luoghi pubblici della Città queſto noſtro Editto,e ne mandiamo vno per ciaſchedun Piouano, il quale ſia tenuto oltre ad affigerlo alla porta della ſua Chieſa,di notificarlo nominatamente a tutti ed a ciaſchedun Prete del ſuo Piuiere,e dar conto alla noſtra Cancellaria cō fede autenticata da due teſtimoni di auere eſequito il tutto puntualmente ſotto pena arbitraria da dichiararſi da Noi ſecondo la qualità della traſgreſſione &c. Di più auuertiamo tutti li Confeſſori sì Secolari che Regolari; tutti li capi delle Religioni, tutti li Confeſſori di Monache, e l'iſteſſe Monache,e tutte l'altre pſone sì Eccleſiaſtiche che laiche,alle quali poſſa eſſer ordinato in dette Coſtituzioni qual coſa, che non traſcurino di comperarle, e particolamente l'Iſtruzioni pe Cōfeſſori, le quali ſaranno anche per maggior cōmodità ſtāpate in fogli ſciolti;Intēdēdo Noi che ſi come abbiamo proccurato che queſte leggi ſieno diſcrete e poſſibili,e vſati tutti que' mezi pe' quali elleno venghino a notizia di tutti coloro che le ſono ſottopoſti;cosi riſoluiamo di voler procedere cōtro a traſgreſſori di eſſe con ogni ſeuerità, e tutto in ogni miglior modo &c.

Dato dal noſtro Palazo Archiepiſcopale in Firenze il di Luglio 1645. l'anno primo del Pontificato d'Innocenzio X. e regnando feliciſſimamente il Sereniſſimo Ferdinando II. Gran Duca di Toſcana.

Piero Niccolini Arciueſcouo di Firenze.

Gio: Ant. Vignali Canc. de mand.

Lectori beneuolo.

HAbes in hoc volumine & Leges ipſas & Acta quibus conditæ ſunt. Supereſt, vt cum perſpexeris in legem libertatis, & permanſeris in ea, non auditor obliuioſus euadas, ſed factor operis; ita vt beatus in facto tuo ſis. Quod

con-

conſequeris facillime, ſi non modo (iuxta Leuiticum prçceptum) cum obſeruantiæ legis vberrimam ſegetem meſſueris primas ſpicarum manipulos offeras Sacerdoti, qui velut pius tui cordis Agricola faſciculum eleuet coram Domino, & acceptabile ſit coram eo munus tuum: ſed quidquid per legem in fide operatus fueris caritate perfecta in Deum ipſum refeeas, a quo nedum prçſens felicitatis incrementum, ſed centũpondij futurę ac æternę beatitudinis ſpem certiſſimam adipiſceris. Interim vale in Domino, & impreſſionis errata legendo ne carpas oculo, ſed benigno corrigas.

LAVS DEO.

Pag.	Linea	Error	Correctio
7	23	qnando	quando
7	25	Predeceſſotum	Prædeceſſorum
8	13	pro profitemur	profitemur
8	16	videlicet	videlicet
8	33	percipientes	percipientes.
9	23	Rehus	Rebus
10	5	Santeq;	Sanctęq:
11	...	Tit. II.	Tit. I.
11	20	&	vel
11	29	profireantur	profiteantur
11	30	Sacrornm	Sacrorum
12	...	de fide	de fidei
12	27	niſi	niſi
14	35	Decretum fuit	decretum fuit
15	31	quæ ad hanc	qua ad hanc
16	...	Dri	Dei
16	25	fit	ſit
21	36	arbitriò	Arbitrariè
24	6	miſarimus	miſerimus
24	16	fiant quando	dele quādo & adde. ſed ad formā & literalē ſenſum Breuiū, (iuxta quem
24	35	Eeclefis	Eccleſijs
26	7	& vnica miſſa	dele, &
26	19	aiiis	alijs
27	5	pręcipimps	pręcipimus
27	24	eelebrauerint	celebrauerint
27	29	dignitates	dignitate
28	6	defeetus	defectu
28	8	arbitrum	arbitrium
28	18	pulicis	publicis
28	27	etiam	eam
28	31	vel directe	vel indirecte
38	22	Florenrinis	Florentinis
38	25	alias	alias
41	13	Plebi	Plebe
55	2	in hae	in hac re
58	20	ſcandalu	ſcandalum
58	29	fædu	feda
59	24	ſpecialter	ſpecialiter
61	30	apprbationes	approbationes

63 5 oxcr-

Pag.	Linea	Error	Correctio
63	5	oxerceant	exerceant
63	15	Sacerotes	Sacerdotes
65	35	eigenti	erigenti
66	14	mediates	medietas
70	8	tanſierit	tranſierit
70	26	commjttimus	adde &
70	30	ad	ab

71. & 72. —— . . . Poſt 7. §. adde §. 8. in cap. de Ieiunijs

§. 8. Fides autem, quibus medici teſtificantur, non poſſe aliquos Quadrageſimam obſeruare, in ſcriptis, & caute, non prodigè vel ob leues cauſas ab eis fiant, quæ pro licentia rite conſequenda, vel à Nobis, vel à Vicario noſtro, vel ab alijs quos ad hoc opus deputabimus, ſubſcribantur.

Pag.	Linea	Error	Correctio
72	24	nudma	nudum
73	4	ſeruituie	ſeruitute
75	12	Apoſtoloum	Apoſtolum
78	23	nutiret	nutriret
78	27	Benecifiarios	Beneficiarios
80	8	præcepit	præcipit
80	26	Tridenti	Tridentini
82	13	cnm	cum
84	10	attociationibus	aſſociationibus
86	9	congreſſius	congreſſus
87	4	exacutoribus	executoribus
87	5	reſiquum	reliquum
88	21	fiuctum	fructuum
90	6	incurendam	incurrendam
93	23	diuidendordum	diuidendorum
98	35	Diœceſis	Diœceſi
102	9	ad	ab
104	24	Papæ	Papa
109	22	incanationes	incantationes
111	5	lauerentij	laurentij
123	4	titudine	latitudine
132	6	indiuiſiones	in diuiſiones
137	4	Canonem iure	Canonum iure
138	24	obſeuari	obſeruari
139	5	cœterijs	cœteris
145	2	effertricem	effectricem
154	19	clericus	clerus
158	5	nor	noſtro

162
9
36